# BIBLIOTHECA
# EBNERIANA.



Vides hic, Lector, EBNERI ora uultusque,
Cui Musae, Religio, Patria multa debent.
Sis, maneas VIRI memor,
EIUS que merita post te natis trade gratus.

*R.*

*Volumen primum.*

# CATALOGUS
# BIBLIOTHECAE
NUMEROSAE
AB INCLUTI NOMINIS
VIRO
HIERONYMO GUILIELMO
EBNERO,
AB ESCHENBACH rel.
OLIM CONLECTAE,
nunc
Norimbergae
a die II. mensis Augusti
Ann. MDCCCXIII
publicae Auctionis lege
diuendendae.

---

Quem
in hunc ordinem redegit, his literarii maximam
partem generis notationibus instruxit, hac
praefatione auxit
GODOFREDUS CHRISTOPHORUS
RANNERUS.

---

Volumen primum.

---

Norimbergae,
A. S. R. MDCCCXII.
TYPIS BIELINGIANIS.

# Q. B. V.

Praefaturis nobis auspicato succurrunt mentemque subeunt, quae Lyricorum Romulea e gente ortorum facile princeps, et quod ad Satyram scribendam, nemini facile secundus, Quint. Horatium Flac. puta, ductus experientia, optima mortalium magistra, instigatusque non sine omnium sapientum plausu consensuque iam multis abhinc seculis de omnibus omnino rebus, quibus mortalium abundare dicitur uita, sapienter intelligenterque monuerat.

*— propriae telluris herum natura neque illum,*
*nec me, nec quemquam statuit. nos expulit ille;*
*illum aut nequities, aut uafri inscitia iuris;*
*postremum expellet certe uiuacior haeres.*
*Nunc ager Vmbreni sub nomine nuper Ofelli*
*dictus, erit nulli proprius: sed cedet in usum*
*nunc mihi, nunc alii —* 1)

---

1) Horat. Satyr. lib. II. 2. p. 193. seq. ex edit. Dan. Heinsii Lugd. Bat. ap. Lud. Elzeu. 1612. octou. Tenendum,

Concinit cum illis Venusini poetae hic, quem in epistolis exarandis ut breuitatis sic et elegantiae studium, et in panegyrica illa, ad Traianum, laudatissimum principem, aequalibus suique temporis hominibus non solum, sed serae posteritati etiam de meliori commendandum, euigilata oratione, solertissima oratoriaeque artis abundantissima diligentia, immortalitatis nomine dignum omnino pronuntiant, Plinium Iuniorem existima, quemdam amicorum amice monens [a]), — *effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum* — statim, ut monito consilioque suo uim addat quamdam, subnectendo, — *quod ab omnibus semper et in quacumque rerum suarum conditione statuque firmiter in memoria tenendum: — Nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur.* —

Libros, librorum congeriem, (Bibliothecas dicere mos est) huic rerum perpetuae uicissitudini subiacere, nemo erit, qui contra loqui, nedum negare audeat. Enimuero innumera uetustissimorum aeque ac recen-

---

poetam hic rem quamdam singularem (indiuiduum uocant) menti lectorum obiicere, ut poetarum mos fert consuetudoque, pictores presso sequentium pede. Vnde ap. Lucian. Imag. c. 8. Homerus ο αριϛος των γραφεων et ap. Cicer. de eodem Quaest. Tuscul. l. 5. At eius picturam, non poësin uidemus, reliquasque omnes, quae ad hanc rerum seriem pertineant atque ordinem, uelle subintelligi.

a) Plinii Epist. lib. I. 3. pag. 4. ex edit. Ioa. Matth. Gesneri Lips. 1770.

tiorum temporum adsunt cuiuis ante oculos posita exempla, quae huius rei ueritatem satis superque testentur.

Videamus primo de antiquiorum, a nostrisque magis remotorum temporum bibliothecis. Historia, teste locuplete, stetit, floruit quondam sub graecis imperatoribus bibliotheca Constantinopolitana, quae duodecim librorum millia comprehendisse dicitur. Eadem historia docente stetit, floruit et Alexandriae bibliotheca, a Ptolemaeo, Aegypti Rege, instituta, quae 400000 siue, ut alii malunt, 700000 uolumina continuisse adfirmatur. Serenum Sammonicum, aiunt, librorum 62060 bibliothecam possedisse, Gordiano Iuniori testamento legatam. Pamphilus Martyr, Caesariensis Presbyter, triginta Librorum millia fertur habuisse conlecta. Aldus Manutius octoginta millium Librorum Academiam Pisanam instituit haeredem. Maximiliani I. Imperatoris Bibliothecam esse complexam libros quinquagies mille, tum typis impressos, tum manuscriptos, narratum legitur. Quinimo ipsa Bibliotheca Constantinopolitana Theodosii Iunioris cura, qui conquirendorum conligendorumue librorum studio ac desiderio Ptolemaeo inferior fuisse non uidetur, adeo aucta atque exornata tandem euasit, ut e decem librorum myriadibus constitisse ferretur — [3]).

---

3) Vid. Guil. Saldeni de Libris, Varioque eorum usu et abusu Libri duo Amstelod. 1688. oct. minor. Add. Dan. Eremitae aul. uitae ac ciuilis lib. IV. ex ed. Ioa. Georg. Graeuii Vltraj. 1701. octon. mai. Cap. 2. lib. 4. p. 225. seq. Sed conf. quae ad huius rei explicationem minuendumque librorum numerum scripsit Ioa. Iac. Rambach. in Archäol. Vntersuch. p. 295. seq.

At enimuero ubinam locorum adparent iam uestigia tantum omnium harum numerosarum admodum bibliothecarum? Floruit olim quidem sub Ptolemaeo rege Alexandrina Bibliotheca; sed insequuto tempore proh dolor! maximam partem illa, teste A. Gellio, a militibus forte auxiliaribus igni fuit tradita. Stetere, floruere reliquae, sed temporum decursu, morte horum, qui illas summa cura, nec minori sumtu collegere, inscitia, negligentia istorum hominum, quorum curae uigilantiaeque commissae, imperiorum uicissitudinibus, principum diuersis studiis, quorum aliis aliae longe ludicraeque res magis fuere cordi, quam literarum literatorumque studia excitanda, fouenda, remuneranda, meritoque honore habito in dies etiam atque etiam augenda, promouenda — his aliisue rebus factum, ut bibliothecae, per longam annorum seriem conlectae, mirum in modum auctae, publico usui destinatae, prius neglectae, tandem solutae abierint in uanum, et singulae harum particulae, interitus periculum elapsae, ut disiecti lacera corporis membra, hinc inde fuerint dissipatae.

Idem triste fatum, quod tam multae Veterum bibliothecae iam sunt expertae, subeundum quoque fuit non paucis recentiorum. Ab exteris regionibus quam multi iam ad nos adlati libri, testes solutarum bibliothecarum, quos conlectos possedere olim Viri doctrinae copia atque elegantia clarissimi, deque literis immortaliter meriti, Heinsii, Gronouii, Casauboni, Camerarii et ut ad nostra descendamus tempora — Suartii, Moshemii, Ernestii, aliique, quorum nomina, ut praeclara nitentiaque sidera, tamdiu eruditae posteritati erunt

commendata manebuntque, quam eorum scripta, ingenii monumenta sat luculenta, eruditio ac doctrina solida in primis, ipsa uigebunt.

Sic uia munita uenimus tandem ad id, cuius causa haec hactenus sunt disputata omnia. Scilicet Bibliotheca numerosa admodum ualdeque exquisita, quae per longam annorum seriem Norimbergae intra moenia stetit, floruit, obita non ab huius antiquae ac laudatae urbis incolis solum, sed ab exterarum gentium hominibus etiam, uarii status uariaeque conditionis, olim fama tantum ac rumore, dein copiosa b. de Murrii descriptione sub Ebnerianae titulo ac nomine procurata, ad eam uisendam propriisque oculis usurpandam adlectis — omnium publicarum priuatarumque iam solutarum numerum, idem fatum, augebit, experiundo. At hic obseruandum probeque tenendum, fieri istam h. Bibliothecae uenditionem dissolutionemque nequaquam priuato ausu uotoque, publica potius legum ui atque autoritate, quarum iussu ut bona omnia, quae in familiarum commodum atque usum ab earum fundatoribus conlecta, seruata, aucta, itaque ad seram posteritatem transmittenda, vulgo fidei commissorum nomine ac titulo salutata, iam omnino soluantur, abeantque in nihilum, sic et hic librorum exquisitissimorum cumulus, qui eodem nomine ac titulo hucusque non sine prouida cura magnisue impendiis in subsidium literarum et eruditorum nostris floruerat adseruatus in terris.

Quo magis aequum esse censebitur omni modo nisuque omni huic incumbere rei. ut, qua fieri poterit,

ratione, apta maxime minimeque fallente, memoriam huius proxime dissoluendae bibliothecae, ut uita defuncti iam ad rogum compositi, in eum iam impositi, iamque a flammis correpti, conseruandam ad seraeque posteritatis homines transmittendam curemus atque inuigilemus.

Verum, ut id decenti fiat ratione, ante omnia de parente quasi ac fundatore huius bibliothecae sunt nobis facienda uerba. Nihil etenim nobis antiquius uidetur atque magis sanctum, quam ea, qua par est, religione horum recolere, posteritatique literarum monumentis commendare memoriam, quorum nomina in honorum meritorumque splendent sanctuario insculpta, quorumque imagines in eiusdem adytis suspensae latitantesue uniuscuiusque eas lustrantium exquisito nec uulgari fulgore percutiunt oculorum aciem. Accipe igitur, lector, quisquis es, beniuolis narratiunculam auribus, de herois nostri ortu, educatione, uita priuata, publica, meritis, honoribus etc. leui stilo adumbratam ac penicillo, et si quid erratum, vel non digne satis expressum inueneris, illo Terentiano excusa:

*homines sumus, humana patimur.*

---

Heros noster, qui Bibliothecae quasi lineamenta duxit, cuique suos ea natales, primordia sua debet, nec primordia tantum sed sua quoque augmenta, est [4]) Vir

---

4) Cf. b. Io. Paul. Roederi Memoria Ebneriana, quem sumus sequuti, sic ut saepius eiusdem uerbis uti optimum putaremus.

Perillustris ac Generosissimus Hieronymus Guilielmus Ebner ab Eschenbach in Artelshofen etc. olim, quum uiueret, S. Caesareae Maiestatis Consiliarius actualis, Coronae et Insignium Imperialium Custos, S. R. I. Liberae Ciuitatis Norimbergensis Duumuir et Censor, Coenobii ad D. Clarae et Pillenreutensis summus Praefectus etc. Vir, ut munerum, meritorum, honorum inde sequutorum magnitudine, sic et parentum, maiorum, paternorum, maternorum, gloria maxime cluens.

Verum ut dictis fidem faciamus, haec repetenda uidentur altius, enucleatiusque per partes enumeranda.

Norimbergae, inter florentissimas et quam maxime cultas urbes non ultimum quondam tenenti locum, sua noster debet cunabula Ebnerus, natus illic A. R. S. cIↃIↃcLXXIII patre Ioa. Paulo Ebnero, Senatore Norimbergensi, rerum sacrarum ac literariarum Praefecto, Academiae Altorfinae Curatore, Ciuitatis patriae saluti prudentissime prospiciente consulenteque constantissime — matre, e nobilissima gente orta, omnibusque fortunae sexusque ornamentis florentissima matrona, Maria Magdalena, nata Voitia. At non parentes Ebneri nostri solum, sed eius etiam maiores, ad Seculum post Christum natum duodecimum usque adsurgentes, nobilitate generis, munerum praestantia, meritorum magnitudine multitudineque fuere admodum clari. Eminent hos inter, a quibus ille sanguinem deducebat paternum, uel praecipue Bigenot Ebnerus, Eques, itemque Conradus eiusdem filius, et nepos Bigenotus, qui non ab auo transmissa feuda tantum, sed equestrem etiam dignitatem ad

gentem suam propagarat. Praeter alios hic loci nobis etiam in primis nominandi laudandique Eberhardus, Senator Norimbergensis, ad quem ius patronatus in ecclesiam parochialem de Regelsbach ab antiquo spectabat — fratres illi germani, Eberhardus et Fridericus, qui ad extruendum dotandumque monasterium S. Clarae non pauca contulere — Albertus Senatoria dignitate pariter conspicuus, qui apud Imperatorem Rupertum gratia in primis ualuisse narratur. — Et quod ad materni generis maiores, pertinent huc [5]) Bilibaldus Pirckhaimerus — o quantum nomen! — Hieronymus Ebnerus, Reipubl. Norimbergensis Duumuir primarius, eiusdemque filius Erasmus Ebnerus [6]) Senator olim Norimbergensis, postea uero Sereniss. Brunsuicensium Ducis Consiliarius secretior — Hieronymus Baumgartnerus Senior, primus ab instaurata religione rerum ecclesiasticarum et literariarum Ephorus, quorum singuli Senatoriam dignitatem, ut ingenii doctrinaeque insigni elegantia, sic et meritorum non ultimorum in utramque rem publicam, ecclesiasticam et ciuilem, permagnâ copia, consensu omnium, quibus illorum temporum historia cognita est atque perspecta, ornando decorauerunt.

Verum ductus copia tot, ac tantorum ui maiorum instigatus, succrescentibus corporis atque ingenii uiribus

---

5) De Bilib. Pirckhaimero, Hieron. et Eras. Ebneris uid. Saligii Hist. August. Professionis T. I. —

6) De Erasmo Ebnero uid. quae ad Catalogi huius Nr. 1318. b. nota subiecta monuimus.

iniit lubenti animo uiam, qua ueram manentemque ad laudem, ad solidam nec marcescentem itur gloriam. Nimirum octauo aetatis anno parentum iussu uoluntateque Gymnasium Aegidianum, quod Norimbergae magna olim Hieronymi Ebneri cura prouida [7]) feliciter inchoatum perfectumque ad hoc usque tempus floret, ab Ebnero nostro frequentari coeptum, hunc, octennio ibidem exacto, ita dimisit instructum in studio humaniorum literarum doctrinarumque elegantiorum, ab optimis exercitatissimisque magistris, Bazio nominatim et Fuchsio, Rectoris munere tum temporis adcuratissime solertissimeque functo, institutum, in graeci latinique sermonis usu frequenti ita exercitatum, ut iam tum sui maximam spem fecerit atque expectationem, elaborata proprio Marte oratione ualedictoria de gnome illa, sibi ab optimo parente saepius saepiusque inculcata, his uerbis comprehensa — *Peragit tranquilla potestas, quod uiolenta nequit, mandataque fortius urget imperiosa quies* — quae et ab Ebnero nostro in consessu habita publico atque recitata fuerat.

Relicto Gymnasio uacauit publicis praelectionibus virorum eo tempore clarissimorum — Arnoldi iunioris, aliorum, priuataeque Fabri, Rectoris postmodum, institutioni, ipsiusque parentis, e qua largam nummorum antiquorum in primis adquisiuit cognitionem. Quo factum, ut suasu paterno argumentum de *gestis Domus*

7) Hac de re legenda Ioach. Camerarii de uita Phil. Melanchthonis Narratio, edit. b. Georg. Theodor. Strobelio. Hal. 1777. oct. mai, §. XXXI. p. 100. sq.

*Augustae Austriacae per nummos antiquos illustratis* ante suum ab urbe discessum sibi tractandum sumeret, et, ut addit Roederus, summo cum adplausu miras florentis ingenii dotes largiter abundeque monstraret.

A. R. S. cIↃIↃCLXXXXI Musarum sedem Noricam, Academiam Altorfinam, petiit Ebnerus noster. At, uix factis studiorum academicorum initiis, eodem anno die IV. Iulii parentem optimum praematura morte sibi ereptum dolere se uidit coactum. Nihilo minus diuinae Numinis optimi maximi prouida cura recreatus confirmatusque, inchoatum uitae Academicae cursum prosequutus Wagenseilii, Molleri, aliorum praelectionibus interfuit, et quicquid in humanioris et politioris doctrinae scriniis reconditum abstrusumque latebat, solerter inuestigauit atque eruit. Testis huius nostrae adsertionis dissertatio inscripta: *theses miscellaneae confusaneaeque* — ab eoque A. R. S. cIↃIↃCLXXXXIIII publice defensa summo cum auditorum plausu nec sine intimioris eruditionis admiratione, aiente Roedero.

Absoluto studiorum cursu, Academiaque patria relicta, statim cepit consilium Ebnerus noster, regiones exteras inuisendi, earum incolas, horumque mores, instituta, disciplinam, eruditionem, quasi in uicinia uidendi, obseruandi. Quo factum, ut A. cIↃIↃCLXXXXV per superioris primo Saxoniae loca faciens iter famosissimos doctissimosque uiros — Schmidium, Tenzelium Thomasium, Cellarium, alios adiret: dein in Germaniam inferiorem descendens, Vltrajectum delatus, perque hiemem ibi commoratus, ex hominum doctissimorum

consuetudine magnam amplamque rerum scitu maxime dignarum sibi conquireret notitiam. In primis Amstelodami, Lugduni Batauorum, Hagae Comitum, Roterodami Antuerpiaeque uersatus, pulcerrimam exoptatissimamque nactus est occasionem, selectiores bibliothecas non peruestigandi solum, sed et eos coram uidendi adloquendique, quorum nomina ueneratione adhuc omnes prosequuntur summa, qui ueri nominis doctrinam noscere didicerunt atque aestimare, puta Gronouios, Perizonios, Hartmannos.

Belli flamma tum temporis Foederatos inter et Gallos in Belgio gliscente lateque grassante, incolumis saluusque Deo protegente Ebnerus quidem euasit omnia, quibus se saepius circumdatum senserat, pericula. Postea tamen Namurci uersans in morbum incidit uimque febris acutae expertus est tantam, ut, ni tempestiue praesentissimo efficacissimoque remedio adhibito uehementiores morbi crescentis impetus essent repressi, forsitan de tam cari capitis vita fuisset actum.

Verum ut ualetudini adhuc tenui dubiaeque eo magis consuleret, Namurco, militibus praesidiariis tunc abundante loco, relicto, Vltrajectum petiit, ibique commoratus per hiemem, sanitatis omnino restituendae penitusque firmandae habuit rationem.

Ineunte anno CIƆIƆCLXXXXVI Rheno uectus, Nouiomagum, Cliuiam et Dusseldorpium, Coloniam et Moguntiam uenit, omnibusque uisu notatuque dignis ibi perspectis Francofurtum nundinarum Paschalium tem-

tempore est delatus, ubi, aiente Roedero, non tantum illustrium uirorum eximiorumque fruebatur consuetudine, sed et honore mactabatur singulari.

Norimbergam intrans, nouum iam iter meditatur, quodque erat meditatus, ab eo etiam fuit, priuatis rebus et negotiis ibi rite legitimeque constitutis, perfectum. Nimirum Vlmam, Augustam Vindelicorum, Monachium inuisit, quumque per Comitatum Tirolensem fines attigisset Italiae, Venetias petiit, peragratisque Patauio, Bononia, Ferraria, Laureto Romam uenit Neapolinque contendit, ibique montem istum famosum eoque tempore fumos et lapides eructantem, Vesuuium, ita prope curioseque est contemplatus, ut adscendente fumo idem fatum, quod Plinio maiori *) uere obtigit, et ei immineret, isque propemodum suffocaretur.

Reuersus hinc, Romae per aestatem mansit, rerum admiratione dignissimarum monumenta perquisiturus atque obseruaturus, cum doctisque ac politis hominibus conuersaturus. Illinc Florentiam progressus, apud Magnum Etruriae Ducem, cui Noster debitum reuerentiae cultum exhibuerat, tantam iniit gratiam, ut pretiosissimam gemmarum, nummorum rerumque omnino antiquiorum gazam aeque sepius saepiusque ac splendidissimam numerosissimamque Principis huius bibliothecam adire oculisque sibi usurpare liceret. Visitauit dein Luccam, Pisas et Liburnum Portum, conscensoque ibi nauigio per ma-

*) Vid. Plinii Iun. Epist. Lib. VI. Epistt. XVI et XX.

ris aestuantis fluctus non sine magno discrimine Genuam peruenit Taurinorumque Augustam, factoque illinc per Mediolanum, Parmam, Mantuam et Veronam itinere adiit Germaniam intrando statim Vindobonam, imperatoriam sedem, uiso notatoque, non sine admiratione, quicquid ibi aulicarum et politicarum, literariarum et historicarum rerum habebatur praeclarum atque egregium.

Sub finem A. post salutem Christi beneficio recuperatam cIↃIↃCCLXXXXVII per Morauiam Silesiamque uenit Berolinum — per Halam Saxonum, Lipsiam et Fribergam, per Dresdam denique et Pragam d. IV. Febr. A. cIↃIↃCCLXXXVIII saluus atque incolumis Norimbergam intrauit, patriam urbem, omnium dulcissimam, metam finemque toleratorum hactenus laborum.

Tot igitur tantisque peregrinationibus confectis, tot tantisque exantlatis laboribus, tot tantisque superatis terra marique periculis — constitutus hac in urbe, quam nutricem educatricemque tam benignam dudum fuerat expertus, cuique non sine ratione idonea natus educatusque uidebatur — instructus abunde omnibus iis notitiis, quae hominem ciuem e uulgi classe non eximunt solum, sed supra istam longissime euehunt, sacroque uirorum eruditione clarorum ordini iungunt atque adscribunt — memor in copiosissima penu supellectilique rerum scitu dignissimarum iucundissimarumque, magistrorum e doctrina, ex hominum uariae indolis uariique ingenii consuetudine, dictis, factis, e regionum ab eo aditarum accurateque lustratarum, coeli diuersitate

atque aëris ab sede patria sese admodum distinguentium constitutione et natura, e probe obseruatis diligenterque animaduersis exterarum gentium nationumque moribus, institutis, priuatis, publicis, auide haustarum intimeque perspectarum, nec sine adhibita ueritatis trutina artificisque statera pensitatarum, graues num sint, an careant pondere — memor, inquam, in hac abundantissima cognitionis doctrinaeque, studio multo magnoue sumtu adquisita copia gnomae illius, apud Aeschylum obuiae [9]):

ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ' ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφὸς. —

hic talis ac tantus, iuuenis adhuc, sic praeparatus, eiusmodique praesidiis munitus cogitauit iam serio de inchoandis stabiliendisque rei familiaris rationibus hac in ciuitate, in qua stirpe natus illustri nascens fleuerat. Elegit igitur tori sociam Virginem nobilissimam *Mariam Magdalenam*, Viri illustris *Philippi Iacobi Tucheri* de Simmelsdorf, al. Reip. Nor. Senatoris Consularis rerumque prouincialium Praefecti ex Matrona generosissima *Maria Eleonora* ortu Pelleria de Schoppershof iuste legitimeque natam filiam, quam et d. XXI. Iul. A. S. R. CIↃIↃCLXXXXVIII data solennes inter sacrarum ceremoniarum festiuitates acceptaque dextra sancteque matrimoniali fide promissa sibi consociarat. At istud connubium nequaquam diu duraturum, iam non sine grauí

9) Vid. Aeschyli Tragoediae, cuius poetae aurea uerba inueniuntur repetita in aureo quidem, at nostris temporibus admodum proh dolor neglecto! immortalis Grotii libello: de Imperio summarum Potestatum circa Sacra pag. m. 94. Lut. Paris. 1647. octou.

graui luctu uidit infelici puerperio dissolutum d. XXVII. Septembris A. post Chr. natum cIↃIↃCCI. orbus a tribus non solum natis, e suauissima coniuge susceptis, sed a matre etiam desideratissima.

Verum relictus fuerat orbus quidem, at non debilitatus. Apud Musas i. e. apud humanitatem ac doctrinam, asylum malique solamen paratum inuenit. Amplissimas nimirum rerum egregiarum collectiones in itineribus factas sumserat digerendas, tandem aliquando ad communem usum fructumque in publicam lucem proferendas. In primis se totum fere dedidit perlustrandae egregiae collectioni historiae patriae, a Viro Illustri, Iac. Christoph. Imhofio, materterae suae marito, beneuolentissime communicatae, quam tandem cum splendidissima Bibliotheca haereditario iure in se translatam acceperat. Qua re adiutus relationem de iudicii prouincialis Norimbergensis, cuius Adsessor A. S. R. cIↃIↃCC erat factus, antiquitate, iuribus aliorumque contrariis sententiis fusiorem ex hisce documentis pleniorem que exaratam anno cIↃIↃCCIII in publicam lucem emisit.

At uero malum est, coniugem amisisse — huic malo medendum, iactura resarcienda. Id quod et fecit Noster, quaerendoque prioris similem, inuenit eam in Virgine nobilissima, *Anna Catharina*, Viri perillustris ac generosissimi, Caroli Welseri de Neunhof, Reip. Nor. Duumuiri al. Matronaeque generis uirtutumque ornamentis splendidissimae *Mariae Barbarae* ortu *Schlusselfelderiae* de Kirchensittenbach filia ex ordine nascendi ter-

tia, quam d. XXVII. Nouembris A. S. R. cIↃIↃccII sibi iunctam solemnissimo domum duxerat modo. Ex optata Coniugis optimae foecunditate laetum se nouem liberorum uidit parentem. Ast non hi solum praematuro fato erepti, sed Conjux etiam optima, dulcissima, elapsis decem tribusque coniugii annis d. XVIII. mensis April. A. S. R. cIↃIↃccxv liberos sequuta morte amissos uitam cum morte commutarat.

Interea per hos tredecim annos, quos sociatus uiuebat iunctusque optimae foecundissimaeque coniugi, uariis iisque splendidissimis ornatum se sensit muneribus, in rei publicae usum communem ab Nostro suscipiendis susceptisque ab eo solertissime et prudentissime procuratis. Erat ei concessum, ut cum consummatissimo tum temporis Iurisconsulto, Christoph. Scheurlio de Defersdorf, Consiliar que, celeberrimo Trechselio interiora monumentorum publicorum tabularia perquireret. Inde tanti profectus in studio patriae historiae, quos in eo laudabant, admirabantur omnes harum rerum gnari aequique aestimatores. A. R. S. cIↃIↃccv Collegio Iudicum iudicio urbanarum rerum inferiori adsidentium adscriptus, annoque cIↃIↃccvIII in ordinem Senatorium sine ullo ambitu adcitus est lectusue. A. O. R. cIↃIↃccx creatus Senator Consularis. Sub finem A. cIↃIↃccxI profectus suis sumtibus priuatoque studio Francofurtum ad Moenum, ubi Caesar recens electus *Carolus* VI. coronandus inaugurandusque praesens conspiciebatur. Dein Norimbergam reuersus coram Sacra Maiestate Caesarea cultuum et obsequiorum ministeria publico nomine praestitit de-

mississima atque exhibuit. A. S. R. cIↃIↃCCXIII Ebnerus noster ab amplissimo Senatu in secretiori causa ad aulam Serenissimi Principis Marggrauii Byruthensis delegatus multis honoribus gratiae singularis atque eximiae testibus locupletibus rediit adfectus. Denique A. p. nat. Seruatorem cIↃIↃCCXIIII Praefectis rerum militarium adscriptus, hoc in munere, ingenio quamquam suo, Musarum otia et silentia praeoptanti, aduersante magis, quam respondente conuenienteue, tamen ita dicitur uersatus, ut non sine plausu partes sibi demandatae ab eo laudarentur actae.

Has inter grauissimorum munerum molestissimas curas, suasu fidissimorum cognatorum atque amicorum, cogitatio de tertiis nuptiis mentem Nostri subiit, quam et fouendo aluit altamque non dimisit inanem, sed est exsequutus spei plenus atque exspectationis, fore ut mutata uitae solitariae conditione non istae solum leniantur curae, verum sibi etiam, suae genti, posteritati adeo consulatur. Nupta igitur Nostro fuit Virgo nobilissima illustribusque natalium titulis atque honoribus florentissima *Maria Iacobina*, Viri perillustris ac generosissimi *Vuolfgangi Iacobi Nuzelii* de et in Sundersbuhl, S. C. Maiest. Consiliarii actualis, Reip. Norimb. Duumuiri etc. postea Duumuiri primarii, Sculteti et Praetoris Castri imperialis, quod Norimbergae est etc. uiri de patria ciuitate largiter abundeque meriti, aeternaque memoria dignissimi, matronaeque perillustris *Cathar. Eleon. Loeffelholziae* de Colberg filia, quod ad nascendi seriem secunda, ei d. XXIV. Nouembr. A. D. cIↃIↃCCXVI iuncta.

Cuius ex optata foecunditate quum Noster se parentem decem et trium liberorum — septem nimirum filiorum et sex filiarum — laetus exultansque uidisset, non sine causa duraturae posteritatis spem concepit uberrimam, Neque in hac spe concepta erat falsus. Nam ad hunc usque diem durant et, quod optandum, in sera sint duraturi tempora, ex huius generoso prognati sanguine, de quibus maximam partem illud Poetae:

*Fortes creantur fortibus et bonis* — [10])

Verum de Heroe nostro nobis continuanda narratio. Electus est Noster A. D. cIↃIↃccxviii Senatus consentientibus suffragiis rerum sacrarum ac literariarum causarumque tutelarium eleemosynarumque Praefectus Academiaeque Altorfinae Curator. Quod ut ei accidit exoptatum maxime; sic cunctis, ut aiunt, remis uelisque adlaborauit eo, ut omnia sibi ad manus, quibus, ad grauissimi huius muneris partes pro uirili explendas, sit opus, ductus in primis instigatusque Maniliano illo:

— *non hominis manus — Dei hoc opus uenerор.*

Voluit igitur reuoluitque non scripta solum, quae uiam ad pleniorem religionis notitiam pandunt; sed Noui in primis Foederis, cuius Codicem mspt. egregium [11])

---

10) Horat. Carm. lib. 4. Od. 4.

11) Vid. h. Cod. fuse adcurateque descriptum ap. Schönleben, cuius descriptionem nos sequuti sumus in not. Ca-

possidebat ipse, originalem i. e. graecum sermonem tanta pertractauit diligentia, itàque sibi cognitum reddidit ac perspectum, ut uerborum fere omnium inibi obuiorum flexiones non tantum, sed, quod magis est, illorum etiam notiones pro temporum, quibus uiuebat, conditione rationeque, memoria tenuerit uerbisque elegantibus ueritatique rei omnino conuenientibus recitare atque explanare ualuerit. In primis in hoc se occupatum maxime demonstrauit, ut deprauatis scholarum inferiorum superiorumque ac nominatim Gymnasii Aegidiani Academiaeque Altorfinae rationibus medelam procuraret adhiberetque necessariam, saepius saepiusque optatam. Verum suis uotis conatibusque in hac re grauissima, fructuosissima, non satis respondere uidebatur exitus. Interim strenue adsidueque, quod quantumque potuit, fecit, de euentu, curae uoluntatiue supremi Numinis committendo, omnino securus.

A. R. S. cIↃIↃccxxiii, quo idem Noster dignitatum, quibus iam ornatus conspiciebatur, altiorem gradum, beneque de re publica merendi occasionem nouam feliciter adeptus est eo, ut in numerum Consulum Seniorum reciperetur — eodem et sacris Academiae Altorfinae saecularibus, piis festisue ritibus tum temporis peractis, intererat laetus, et Pragam missus Bohemicae interfuturus coronationi, negotiaque publico nomine sibi demandata explicaturus. Quibus peractis rediit sic,

talogo inserta P. I. pag. 3. seq. ubi etiam scriptionis titulum recitauimus.

ut saluti patriae inuigilasse eamque promouisse de Nostro omnes sibi haberent persuasum.

A. D. cIↄIↄccxxv, quo magnam Noster fecerat iacturam amisso uenerando Socero, Viro de patria Ciuitate immortaliter merito, Vuolfgango Iacobo Nuzel de et in Sundersbühl — eodem fere inter alia grauissima munera etiam summa bonorum et beneficiorum Mendelianorum administratio *Eidem* a Senatu amplissimo fuit tradita, in qua procuranda sic se gessit, ut non solum huius Gerontotrophii documenta iustum redigeret in ordinem; sed nonnulla etiam deprauatarum consuetudinum uitia emendaret, in primisque aedem seu capellam antiquo Carthusianorum coenobio proxime iunctam renouari, ibidemque non sine consensu Ven. Collegii Septemuiralis diebus Veneris singulis habendas pro concione sacra morbis meditationes institui eumque in finem cantilenarum sacrarum librum euulgari curaret.

A. D. cIↄIↄccxxviiii suffragante Senatu Collegium Septemuiratus intrauit Noster splendidissimum, summamque Ephori primariique Ecclesiarum et Scholarum Curatoris dignitatem obtinuit. Ad hoc dignitatis fastigium euectus, quae — quanta fecit, praestitit memoratu dignissima, de quibus fere omnibus iure dici meritoque potest, quod apud Senecam legitur: *Plures, quam putas, obligasti* [12].

---

12) Vid. Seneca de Benef. Lib. 2. cap. 24. ex ed. I. Lipsii. Antu. 1652. fol. pag. 284.

Etenim hoc duce atque auctore floruit olim Academia patria, optimis usa institutis, quibus conseruandis tuendisque sedula inuigilauit cura. Idem ille solitas olim uisitationes ecclesiarum iterum reuocauit in usum, quarum beneficio conditio statusque earum penitius perspici et, si quid mancum, corrigi posset. Ad illum ipsum pertinet, quod Candidatorum in numerum recipiendorum per plures dies, non de uno alteroue, sed de singulis doctrinae christianae maximi momenti capitibus adquisita notitia exploraretur, ipso praesente sedulo industrioque censore. Ad hunc grato referendum animo, quod et Parasceues dies tanquam festus agnitus habitusque sacris diuinioris cultus caerimoniis totus celebretur, et dies, memoriae Professionis religiosae, Imperatori Rom. Augustae exhibitae, dicatus, per singulos annos Sabbati die, festam Ioannis Baptistae lucem proxime uel antecedente uel consequente, recolendo factum hoc memorabile, transigatur, publicisque concionibus habendis tota Professionis religiosae doctrina pertractetur, eadem quoque in scholis cuiuscumque generis iuuenilibus ingeniis cum cura solerterque mandetur familiarisque reddatur atque cognita. Eius auspiciis festum saeculare Gymnasii Aegidiani, quod primum A. cIↄIↄxxv Norimbergae conditum, dein in uillam Altorfinam translatum, illinc tandem denique A. cIↄIↄcxxxiii Norimbergam reuocatum reductumque fuerat, ludis quasi saecularibus, non paganicis istis, sed Dei Christique cultores decentibus — piis caeremoniis, atque oratoriis declamationibus est celebratum: qua solemni occasione tres ipsius filii, largae spei iuuenes, artis ingeniique exi-

mia edidere specimina. Idem, quum Viennae per tres fere annos negotii publici componendi causa legati nomine uersatus, ad finem uergenti properantique anno publica in quibusdam ecclesiis supplicatione missis ad coelum gratiarum actionibus precibusue non sine animi impetu factis, coronidem quasi imponi obseruasset; diuiniore ductus spiritu instituit, ut et Norimbergae in aede D. Mariae publico solemnique modo horis anni ad finem iam properantis uespertinis homines, ordinis omnis conditionisque, operarentur sacris. Eiusdem opera factum, ut huius septimanae, qua mortui Seruatoris optimi memoria pie recolitur, diebus, Lunae in primis atque Mercurii, oratoria sic dicta scite artificioseque elaborata producerentur, carminaque elegiaca, mortem optimi restauratoris omnium mortalium uerae aeternaeque salutis modo lugubri concelebrantia, in aede Carthusiana, resonarent, musicis comitata concentibus. Prouida Nostri cura figurae in aedis Marianae exedra factae atque horologio artificiosissimo iunctae, eoque erectae consilio, ut Aureae Bullae in urbe Norimberga A. cIↃCCCLVI institutae conseruaretur ad posterosque propagaretur memoria — statuae nimirum Caesaris Electorumque personas atque habitum exprimentes, — aeui longinquitate, abiectaque aedis huius sacrae cura fere omni, quam ad A. cIↃIↃVIIII. usque tritauus Nostri, *Hieronymus Ebnerus*, olim gesserat uigilantissime, corruptae nimium deperditaeque, pristino nitori restitutae, nouiterque deauratae, mobilesque ex interno opere automato factae, secunda ac tertia Paschatos feria confluenti in spectaculum populo pulcriori ornatiorique habitu spectandae admi-

randaeque fuere exhibitae. Denique Noster quoque, publica huius aedis sacra, singulis diebus, horâ solis occasum antecedente, canendo precandoque ibi solita celebrari, meliorem redegit in ordinem.

Verum quo meritis annisque auctior, eo euasit auctior honoribus, solem imitatus, qui quo altior, eo ardentior. Nimirum Noster, aetatis annum tertium et sexagesimum agens, nouis cumulandus dignitatibus, Senatus decreto patriae Ciuitatis Triumuir, S. C. Maiestatis Actualis Consiliarius, Coronae Insigniumque Imperialium Custos, Aedilis Curulis, rei frumentariae et armamentariae Praefectus, Secretique Sigilli Ciuium de Nurnberch Custos erat constitutus.

Eo rerum sacrarum ac literariarum praeside saeculare beneficiorum Krausianorum, ac typographiae, trecentos annos iam ante inuentae festum iussu suo fuit actum celebratumque. Iussit etiam, ut pia fieret diei centum abhinc annis ad excitandam animorum resipiscentiam publice a Senatu constituti pro suggestu mentio, memoriaque Viri de ecclesia Norimbergensi immortaliter meriti, Doct. G. G. Zeltneri, die post ipsius ex hac uita discessum anniuersario solemni oratione habenda recoleretur in seraeque posteritatis annos conseruaretur.

Denato Carolo VI. anno cIↃIↃCCXXXXI partes, diuis sacratissimi Imperatoris et Augusti manibus solemnium parentalium Ciuitatis nomine praestandorum, ab

Senatu sibi demandatas, egit, quanta potuit, cura prudentiaqué, iubendo edicendoque, ut non sacris modo per omnes Ciuitatis ecclesias uernacula lingua compositis elaboratisque sermonibus, sed et solemni oratione latina inter consessum Patrum Conscriptorum Ordinumque honestissimorum in Curia habenda supremi gloriosissimae Maiestati iam Caelicolarum choro adscriptae receptaeque in eorum familiaritatem persoluerentur honores. Anno subsequuto, quo Carolus septimus ab Electoribus Romanorum Imperator fuerat electus salutatusque, delegati munere Noster functus est, ab Senatu ad id subeundum euocatus. Abiit igitur, interque comitatum cum augustalibus Sacri Imperii ornamentis insignibusque ad inaugurationem sacratissimi Romanorum Imperatoris solemnem Francofurtum deportandis feliciter eo peruenit. Ibi augustissimo Caesari summisque Imperii Principibus mira in adplicandis ornamentis dexteritate comprobata, inter alia prolixioris gratiae munera id in primis est consequutus, ut et ipse, et Collega, Vir perillustris, Sigismundus Fridericus Behaimius a Schuuarzbach, Reipubl. patriae Septemuir etc. et Socius, Vir generosissimus, Ioannes Georgius Haller ab Hallerstein, Calchreut et Buckenhofen, primarius communis aerarii Quaestor, digni iudicarentur, qui una cum tot aliis illustrissimis Comitibus Proceribusque ac nobilissimis Viris Equites Sacri Romani Imperii solemnissimo priscae nobilitatis ritu salutarentur creati.

Post haec Noster, praesidio rerum sacrarum ac litterariarum ultra decem et sex annos gesto, ad dignitatem

censoriam et Duumuiratum simulque supremam Coenobiorum ad D. Clarae et Pillenreutensis Praefecturam aliaque magni nominis atque honoris munera admotus, pio illa suscepit gratoque animo, bene memor, plurima munerum horum amplissimorum per aliquot Seculorum decursum nulli, et in primis rerum sacrarum literariarumque curam primariam nemini umquam Ebnerianae stirpis contigisse. Verum ut et hanc sibi concessam Coenobii ad D. Clarae Praefecturam non sine officio ac munere dimitteret, sacras festis diebus solitas diuini cultus caerimonias in aede D. Clarae dicata A. cIↃIↃccxxxxv emendando instituit, sed templum etiam parochiale Regelspacense, Coenobio S. Clarae A. cIↃccLxxxxv die Remigii ab *Eberhardo Ebnero* cum patronatus iure donatum, A. D. cIↃIↃccxxxxvII renouando decorauit.

Sed iam sibi satis, satis Patriae, uixisse uisus est. Etenim quod de omnibus verum, id et de Ebnero nostro tenendum, Manilianum nempe illud, tam uere, quam eleganter, expressum:

*Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.*

Videlicet diu multumque morbo conflictatus acerbissimo, pedumque dolore correptus uehementissimo, praetereaque ex diurnis nocturnisque laboribus oculorum luminibus captus nec, exquisitis quamquam ab arte medica et chirurgica inflictis, et patientissime toleratis, doloribus, restitutus, tanta denique sub finem A. cIↃIↃccLI morbi ingruentis uehementia oppressus, ut inter insultus podagricos et catarrhosos tandemque inter

prostratas corporis omnino debilitati uires per mensem Ianuarium A. cIↃIↃCCLII lecto haereret adfixus, factâque sinistri lateris paralysi, immotus, somnoque profundo decumberet sopitus.

In Nostri tam iniqua ualetudine nihil a medico scientissimo solertissimoque, nihil ab uxore fidissima, dies noctesque lecto aegrotantis proxima ab eoque indiuulsa, mansit intentatum, quod ad prostrati corporis refocillandas uires conroborandasque pertinere uisum est. At tantum abfuit, ut remedia alias praesentissima istis malis mederentur, uimque haberent atque exsererent omnibus expetitam uotis, ut potius omnia in peius deteriusque, uergere, imo ruere uiderentur. Recessere sensus, uiresque magis euanuere magisque. Grauiorem trahendo spiritum, sinistram interdum, dexteram dein mouendo manum, cetera immotus quasique sopore sepultus profundo quieuit, ut quiuis eius lecto adsidentium facile posset iam animaduertere, eum uasis iam collectis esse ab abitu ex hac fragili uita discessuque non nimis remotum. Quod et euenit die XXVI. Ianuarii A. cIↃIↃCCLII piissimam animam placide exspirando, superasque mittendo ad auras, emenso septuaginta et octo annorum, sex mensium quatuorque dierum spatio atque expleto.

Sic Noster abiit plenus aetate annisue, at, quod magis est, meritis cumulatus atque honoribus, quem sui homines aeui merita sunt prosequuti ueneratione, serique posteri prosequentur, probe perpensis, quae homo inter homines fecit, praestitit, quaeque in com-

munem usum post fata quoque benigne instituit duratura sapienterque ordinauit. *Habet enim, Cicerone teste, uenerationem iustam, quicquid excellit* [13]).

Horum eius institutorum ad seram posteritatem conseruandorum propagandorumue non ultimum locum obtinet numerosa admodum exquisitissimisque libris referta Bibliotheca, qua de nunc nobis aliqua uidentur adhuc dicenda.

---

Scilicet prima Bibliothecae fundamenta ab hoc iacta, cuius iam supra mentionem iniecimus, Viro nimirum illustri generosissimoque, Iac. Christoph. Imhofio [14]), qui quum materteram Nostri haberet in matrimonio, propinqua cognatione illi erat iunctus. Is igitur testamento iussit, ut Bibliotheca, quam uiuus possedit, multo studio sumtuque magno adquisitam auctamque, post fata in huius ueniret manum, quem non ob cognationis tantum adfinitatisque uincula, sed, quod magis est, ob communia doctrinae literarumque studia semper habuerat carissimum, eaque de causa dudum in oculis tulerat atque animo.

Hereditas, quae testamento uenerat, nequaquam ab Nostro nepotis in morem neglecta dissipataque fuit, omni potius modo culta, seruata, aucta. Quod ut fieret

---

13) Vid. Cic. Nat. D. I. 17.

14) Cf. h. nostrae narrat. pag. XVII.

ratione conuenientissima minimeque fallaci, in coemendis libris uiros praestantissimos notitiisque literariis instructissimos fere semper adhibuit in consilium. Id quod testantur schedulae literariae, multis Voluminibus adiectae insertaeque, quae nomen praestantis doctique alicuius uiri profitentur, qui uoto uoluntatiue Nosti responsurus in iis saepius fuse satis luculenterque non sine additis rationibus exponit, quale argumentum. quoue modo hic et ille codex, hoc et illud uolumen, praesertim lingua exotica dialectoque peregrina exaratum, tractet, quantumue illi sit statuendum pretium. Atque sic factum, ut ad augendam ornandamque Bibliothecam nil admitteretur, nisi quod optimum, elegantissimum, utilissimum conseruationeque ad seram posteritatem uideretur quam maxime dignum.

Splendent igitur in huius adytis Codices non pauci, membranacei, chartacei, ab interno, externoue pretio commendabiles — ob argumentum, ob antiquitatem, ob elegantiam scripturae, ob uarietatem colorum splendensque aurum, quo literae initiales in non paucis distinctae ornataeque sunt, maximi aestimandi. Nec desunt inter hos, qui nondum cum impressis conlati, nostrae aetatis Criticis tam molestam taediique plenissimam operam in eorum conlatione subeundam largiter abundeque satis sint compensaturi.

Adest praeterea numerosa copia exemplorum, quae, cum typographiae initiis fere orta, artis huius ob praestantiam commoditatemque non satis praedicandae rudi-

tatem, annorum insequentium mutationes in melius, uno uerbo, eius incrementa, progressum satis superque loquantur ac declarent. Adsunt talia artis huius κειμήλια, ex omnibus undiquaque mundi partibus ac regionibus, in quibus illa ars non innotuit modo, sed est exercita quoque, collecta, corrasa atque in unum quasi corpus coagmentata, sic, ut locus, in quo hucusque sunt seruata, iure meritoque suo Cimeliarchium dici queat atque salutari. Hic loci deprehenduntur famosissima nomina doctissimorum autorum, quae ab hominibus nostri aeui peritis literatae antiquitatis non sine ueneratione uera summaque recitantur. Hic horum, quos Graecia, Latium peperere, monumenta, aere perenniora, literatorum subiiciuntur oculis. Hic conspiciendi exhibentur libri, in quibus de maximi rebus momenti sermo, ad interiorem theologiae, philosophiae, historiae, geographiae, chronologiae cognitionem spectantibus, manuque quasi ducentibus. Hic regnant, ut ita dicamus, philologiae omninoque humaniorum literarum magistri instauratoresque, eorumque scripta, quae aetatem tulere, tristeque interitus feliciter euasere fatum, non sine grato animi adfectu euoluuntur. Hic iuris antiquissimi interpretes adhuc quasi iuris praescripta pronuntiant, explicant, limitant. Hic poetarum carmina, graeca, latina, Rhetorum graecorum, latinorum, praecepta, Historiae graecae, latinae Annalium conditores a Commentatoribus maximi nominis indubitataeque doctrinae commentariis luculentis illustrantur, enarrantur. Hic inuenienda horum opera, qui cum typographiae indefesso studio atque eleganti cultura doctrinae quoque non uulagris nomen

laudemque coniunxere, opera Manutiorum, Stephanorum, Frobeniorum, Amerbachiorum, reliquorum. Hic inter Oratorum, Epistolographorum, aliorum, uersans monumenta, illorum te subselliis admotum, uim orationis omnino omnem auribus animoque percipere — horum uolumina pereopiosis scaturientia sermocinationibus fugitiuo tantum perlustrans oculo sermonem cum his conferre tibi uideris. Hic Erasmi, Melanchthonis, Hutteni, Zwinglii, Caluini, Lutheri, Oecolampadii, aliorum, quorum nomina sub et post restauratorum Sacrorum libertatisque christianae tempora floruerunt, scripta, multis comprehensa uoluminibus, tibi quasi in occursum uenire uidentur. Hic nomina horum se tibi produnt, operibusque inscripta leguntur, qui per omnem fere uitam humaniorum literarum studiis inuigilarunt, in explicandisue optimorum Graeciae Latiique Autorum scriptis, primitiuaeque eorum integritati, per temporis lapsum admodum laesae, Critices sanae beneficio legibusque, restituendis, quantum fieri potuit, fuere maxime occupati, Heinsiorum, Casaubonorum, Burmannorum, Almeloueeniorum, Draquenborchiorum al. puta ueneratione dignissima nomina, nec his exclusis, qui recentiori, recentissimaque aetate eadem fouere studia, scriptisque philologicis in publicum emissis satis superque declarauere, uestigia maiorum se presse sequutos, immo, iactis ab iis fundamentis inaedificasse ita, ut fundamento recte firmiterque posito, iam aedificium non duraturum modo, sed ab elegantia etiam se commendaturum possit conspici cernique erectum. Hic denique talia quoque deprehendenda, qualia alibi frustra quaeras,

de

de quibusue adhuc apud huius generis literatissimos homines lis sub iudice, utrum re uera adsint, an non? ut adeo oculis ipse tuis cernere queas, non esse literatorum figmenta, sed extare re uera.

Verum enimuero summum hoc praestantiae culmen excellentiaeque splendidissima haec Bibliotheca nequaquam adtigisset, nec unquam ad hunc absolutae fere perfectionis peruenisset gradum, ni prouida benignissimaque optimi Numinis cura factum institutumque, ut et post Viri fata futuri essent superstites, qui eodem studio ducti ad eam fouendam, augendam, ac magis magisque ornandam ferrentur. Quos inter non minimum obtinere iure uidetur locum Vir *Perillustris* ac *generosissimus*, Ioannes Sigismundus Haller ab Hallerstein etc. dignitate Senatoria, Consulari, Duumuirali et quidem per aliquot annos ante eius obitum Duumuirali primaria ornatus, nec meritorum in Noricam ciuitatem ueritate, uarietate, multitudine, magnitudine ulli fere sui ordinis conditionisque hominum cedens, imo non paucos post se relinquens — talis tantusque iunctus felicissimo foecundissimoque connubio nobilissimae Virgini, Mariae Helenae, quae cum alia sui sexus *Ebnerum nostrum* nacta parentem, ueneratque est, quarum una tantum adhuc inter uiuos uersatur, dudum uidua, orbaque coniuge optimo, Anna Maria, maritata olim Kressio, praenobili uiro, rebus syluaticis ordinandis procurandisque Praefecto. Ad has igitur, Genti Ebneriae e tam numerosa progenie solum adhuc superstites, cum aliis bonis paternis et splendidissima haec Biblio-

theca iure fuit deuoluta haereditario. Verum sic ea ipsa non ut hactenus unum agnouit dominum, sed parentis iussu atque praescripto plurium subiecta dominio cessit in usum abiitque omnium, qui sanguine, connubiis, uel alio quocumque modo ad gentem Ebnerianam pertinent, cum eaque coniuncti necessitudine degunt sociatique.

Interea sic domino amisso priori, sic sorte pristina penitus mutata, pluribus iam in unius locum succedentibus, talis mutatio, quam experta erat Bibliotheca, tantum abfuit, ut in huius detrimentum, ut potius in eius cederet emolumentum. Vni alicui statim ab huius mutationis initiis partes erant datae, eique iniunctum, ut in primis huius curam gereret uere paternam, neue pateretur, ut in ulla aliqua re caperet noxam. Praeterea sors fuit constituta, Ebneri testamento praescripta, cuius usurae hanc in rem insumendae, ut Bibliotheca augeatur, scriptisque ab doctissimis uiris in quouis doctrinae genere elaboratis publicatisque et quidem optimis exquisitissimisque subinde ditata magis magisque ornetur. Et ut id meliori procederet modo, semper ex eruditorum classe atque ordine selegit Gens Illustris, qui Bibliothecarii munere fungeretur, quemque in coëmendis libris atque in augenda ornandaque Bibliotheca adhiberet in consilium.

Eo, quo hactenus diximus, modo factum, ut post optimi Soceri fata *Tu*, immortali ob immortalia merita memoria dignissime parens autorque splendidissimae gentis Halleriae, qui dudum, terris hisce relictis, coelites

inter uersaris, quique nobis hac de causa e superis quasi deducendus euocandusue es — nutui, uotis precibusque Tuorum cedens, huius splendidissimae Bibliothecae curam primariam *Tibi* addictam, in *Te* que deuolutam, libenter non susciperes solum, sed gereres quoque per longam annorum seriem continuatam studio diligentiaque non uulgari, quod satis superque augmenta loquuntur, quibus *Tu Tuis* hanc Bibliothecam reliquisti adfectam, ornatam — factum, ut Tu, tali tantoque parente dignissima suboles, dulce gentis Tuae decus, cui post uenerandi desideratissimique parentis acerbam mortem eaedem, quas ille dura fati ineluctabilis necessitate deseruit, partes a *Tua* generosa familia fuere datae, non libenter solum, pro innato rerum optimarum elegantissimarumque amore ac studio, faceres, quae *Tibi*, ad munia Bibliothecarii primarii explenda, a gente *Tua* illustri generosissimaque in mandatis fuerant tradita, sed quouis etiam tempore monstrares factis satis abundeque comprabata. Tuae etenim uigilantiae, Tuae cum literis literarumque cultoribus familiaritati commercioque, Tuae elegantiae, iudicio, sapientiae, seligendique studio et facultati, quae Tibi omnia non inesse uidentur, sed uere insunt, maxima, testibus locupletibus iis omnibus, quibus umquam contigit, Te cum uersari, *Te* cum miscere colloquia sermonesque, in *Tuam* que interiorem insinuari admittiue familiaritatem — *Tuo* nomini referendum acceptum, quod nomina literatissimorum hominum in praestanti hocce eximioque thesauro literario compareant, quod eorum scripta elegantissima, summae antiquitatis optimis scriptoribus autoribusque inuigilata,

composita, summoque artis typographicae sculptoriaeue artificio ac splendore edita his in scriniis literariis obuia omnium, quiqui cupiunt optantque, oculis conspicienda, perlustranda, in priuatosque usus conuertenda exhibentur.

At ut id quouis tempore ac quauis fere die fieri, cupientiumue possit responderi uotis, ab illustri gente *Halleria* semper adhibitus est, ex urbis patriae eruditorum ordine sumtus, cui Bibliothecarii Ebneriani nomen non impositum modo, sed et eius munia obeunda procurandaue permitterentur, annuo honorario isti liberaliter constituto. E quorum numero tres in primis honoris caussa nobis uidentur indicandi. Primo nimirum loco b. Car. Christ. Hirschius, ad aedes D. Laurentii olim Diaconus meritissimus, praesertimque in re literaria exercitatissimus, ut scripta ab eo elaborata omnia, sic praecipue Millenarii [15]), ab eo collecti eo consilio, ut pateat orbi literato, quanta eorum librorum, qui Sec. XVI. typis expressi exiere in publicum, copia gaudeat Bibliotheca Ebneriana, satis superque testantur. Dein Thom. Serzius, primum Cantoris, deinde Rectoris Scholae Laurentianae munere functus dexterrime, uir, omnibus fere literis tinctus, uariarum linguarum, Orientalium, Occidentalium admodum peritus, in suae aetatis instituenda iuuentute ita occupatus, ut per omnes diei

15) Sunt quatuor numero, Norimbergae impressi Tomm. IV. Ann. 1736. Tom. II. 1748. T. III. 1749. Tom. IV. eod. ann. prodiit.

horas, a primo mane ad seram uesperam lectionibus publicis uacaret priuatisque habendis. Cuius in primis, ut et Hertzeri cuiusdam diligentiae indices literarios debemus manuscriptos, ordinem, in Catalogo Menqueniano obseruatum atque adhibitum, sequutos. Tandem Ven. Ledermüllerus huc pertinet, Diaconus Senior ad D. Egidii, et Rhetorices atque omnino elegantiorum literarum Professor in Auditorio Egidiano, in Philosophiae, Philologiae et Theologiae amplissimis campis exercitatus maxime, de Ebneriana Bibliotheca optime meritus, sic ut Millenariis, a b. Hirschio confectis, quatuor adderet quintum, qui manu Viri Ven. propria multaque adcuratione scriptus adhuc in Bibliotheca latet, ab iis inspectus inspiciendusque, qui copias Bibliothecae diuitiasque penitius cognoscere atque peruestigare haberent in animo. At horum duo priores dudum inter mortuos, postremus tantum adhuc uiget superstes, dignus, qui ad Nestoris seros perueniat annos.

Verum ut corpora, quamquam soluta iam atque redacta in cinerem, nequaquam intereunt penitus, sed in nouas mutata formas, nouo nomine insignita, aliâque induta figurâ, denuo reuiuiscendo perdurant — id, quod iam antiquissimi temporis philosophis, inter eosque Lucretio obseruatum, atque iteratis uicibus in suis elegantissimis de rerum natura libris uel potius carminibus suauissimis inculcatum:

*— quidque in sua corpora rursum*
*Dissoluit natura, neque ad nihilum interimit res.*

*Quod si in eo spatio, atque anteacta aetate fuere,*
*E quibus haec rerum consistit Summa refecta:*
*Immortali sunt natura praedita certe.*

*Haud penitus pereunt quaecumque uidentur;*
*Quando aliud ex alio reficit natura; nec ullam*
*Rem gigni patitur, nisi morte adiutam aliena* [16]).

sic et de corpore, si ita dicere fas est, huius Bibliothecae iudicandum statuendumque. Dissoluatur, laxentur membra, e quibus totum hoc corpus conflatum non sine admiratione conspicitur; abeant, migrent in loca quam maxime dissita; adeant gentes, institutis, moribus, lingua, uictu et cultu, uiuendique ratione a nobis omnino diuersas; ornent Orientis Occidentisque scrinia, quibus huc usque negata fuere; perdurant tamen, non more quidem pristino suetoque iuncta, sed nouo combinata cum aliis, quorum defectum supplent, pretium augent. Possessoris nomen amittunt prioris, at nouum obtinent desumtum ab eo, cuius in possessionem dominiumque honesta ratione, aere uenere parato.

Interea alia iam ratione cautum, quo minus hocce Ebneriani nominis monumentum intercidere queat penitus, hominumque e memoria, nostratium in primis, elabi omnino. Iam annis abhinc multis b. de Mur-

---

16) Vid. Lucretius Lib. I. v. 216. 17. — 235 — 37. — 263 — 65.

rius [17]), rerum Noricae ciuitatis uectigalium Praefectus, scripto singulari, non sine multa adcurataque diligentia composito, Memorabilia Bibliothecarum Norimbergensium enarrauit, atque in eiusdem libri Sectione secunda fuse satis luculenterque egit de Bibliotheca Ebneriana sic, ut numerum Codicum MSpt., tum membranaceorum, tum chartaceorum adcurate iniret, addita, ubi operae pretium, argumenti, habitus interni, externi, etc. adcurata finitione — librorum denique copiam Seculis XV et XVI. typis euulgatorum non quidem omnem, sed apis Matinae more modoque optimos raritatisque nota in primis insigniendos mandaret literis ab hominumque praesertim talium rerum cupidorum uindicaret obliuione, adiectis hinc atque inde notationibus, qui Viri studium, diligentiam, peritiam satis superque manifestando produnt.

At uero quod b. Murrius fecit strictim atque per compendium, id nobis agendum copiose per singulas eundo partes. Quod et iuuante Numine hactenus factum, atque eodem secundante et in posterum fiet. Recensitis Codicibus MSpt. omnibus et membranaceis et chartaceis, enarratis libris iis, qui primo statim tempore ab inuenta arte typographica et deinde per reliquum Saec. quinti decimi typis sunt descripti, propositis maximam partem iis, qui Saeculo sexto decimo ab A. 1501 usque ad

17) Christoph. Theoph. de Murr Memorabilia Bibliothecarum publ. Norimb. et Vniuers. Altdorf. P. I. Norimb. 1786. P. II. ibid. 1788. octon. mai.

A. 1550 prodiere e uariorum typographeiis, omissis aliis bene multis, tomo huius Indicis ultimo reseruandis, progrediemur statim ad Graecorum Latinorumque uolumina, recensenda, additis iis, quae ad ea explananda illustrandaque pertinere uideantur. Reliqua librorum copia, in quibus aliae eruditionis partes tractantur, in primis eorum, qui ad Iuris publici intelligentiam ducunt, ut et Apographorum nunc seponendorum, ne primi Tomi paginae nimis augeantur, folia secundi, et si necesse fuerit, tertii, quarti implebit. Notationes etiam hinc inde librorum titulis, ubi necessum putauimus, maximam quidem partem literarii generis, adiecimus, non raro autem et eiusmodi, quae libri conditionem designant. Ceterum in substratis notationibus literariis nos optimis esse usos ducibus, id illae ipsae, additis eorum Virorum praestantissimorum Publico literario iam cognitis satis laudatisque nominibus, unicuique harum rerum perito aequoque lectori, ni fallimur, luculenter demonstrabunt.

Accipe, Lector, aliquot eorum nomina ac scripta.

a) Annales typographici ab artis inuentae origine ad Ann. MD. post Maittairii, Denisii aliorumque doctiss. uirr. curas in ordinem redacti emendati et aucti opera Georg. Wolfg. Panzer. Vol. I. Norimb. 1793. Vol II. 1794. Vol. III. 1795. Vol. IV. 1796. Vol. V. 1797. Vol. VI. 1798. Vol. VII. 1799. Vol. VIII. 1800. Vol. VIIII. 1801. Vol. X. 1802. Vol. XI. 1803. 4mai.

b) Annalium typographicorum V. Cl. Mich. Maittaire Supplementum. Adornauit Mich. Denis P. I. Vienn. 1789. Pars II. ibid. eod. 4.

c) Denis M. Merkwürdigkeiten der k. k. garell. öffentl. Bibliothek am Theresiano. Wien 1780. 4mai.

d) Bibliothecae Acad. Ingolstad. Incunabula typographica — dispos. descrips. nott. hist. litter. illustrauit Sebast. Seemiller. Fasc. I. Ingolst. 1787. Fasc. II. ibid. 1788. Fasc. III. ibid. 1789. Fasc. IV. ibid. 1792. 4.

e) Plac. Braunii Notitia hist. literaria de libris ab artis typogr. inuentione usq. ad ann. 1479 impr. in Biblioth. Monasterii ad SS. Vdalricum et Afram Augustae extantibus c. octo tabb. aereis. August. Vindel. 1788. Eiusd. Op. Pars secunda, ibid. 1789. c. trib. tabb. aer. 4mai.

f) Augsburgs Buchdruckergeschichte nebst den Jahrbüchern derselben. Erst. Th. Vom Iahr 1468. bis auf das Iahr 1500. Verf. mit literar. Anm. erläutert von G. Wilh. Zapf. M. Kupf. Augsb. 1788. Zweyt. Th. Vom Iahr 1501 bis auf das Iahr 1530. Mit Zusäzzen und Verbess. zum ersten Th. Augsb. 1791. 4.

g) Merkwürdigkeiten der Zapfischen Bibliothek. Erst. Band. Augsb. 1788. 8 mai.

h) Aelteste Buchdruckergeschichte von Mainz bis auf 1499 mit Anm. von G. Wilh. Zapf. Vlm 1790. 8 mai.

i) M. Georg Wolfg. Panzers Annalen der ältern deutschen Literatur oder Anzeige und Beschreibung derjenigen Bücher, welche von Erfindung der Buchdruckerkunst bis MDXX in deutscher Sprache gedruckt worden sind. Nurnb. 1788. 4mai. — Dessen zweyter Band vom Iahre MDXXI bis MDXXVI. Ebendas. 1805.

k) M. G. Wolfg. Panzers ausführliche Beschreibung der ältesten Augspurg. Ausgaben der Bibel mit literar. Anmerkungen. Nürnb. 1780.

l) Eiusd. Geschichte der Nurnb. Ausgaben der Bibel von Erfindung der Buchdruckerkunst an bis auf unsere Zeiten. Ibid. 1778.

m) Eiusd. Versuch einer kurzen Geschichte der römisch - catholischen deutschen Bibelübersetzung. Ibid. 1781. 4 mai.

n) Eiusd. Aelteste Buchdruckergeschichte Nürnbergs oder Verzeichnis aller von Erfindung der Buchdruckerkunst bis 1500 in Nurnberg gedruckten Bücher mit literarischen Anmerkungen. Ibid. 1789.

o) Catalogus Bibliographicus librr. in Bibliotheca caes. reg. et equestr. Academiae Theresianae extantium c. accessionibus originum typographicarum Vindobonensium et duobus Supplementis nec non

ind. triplici, systematico, bibliographico et typographico Vol. I. Viennae. 1801. Vol. II. Vindobonae 1802. Vol. III. ibid. 1803. Vol. IV. ibid. eod. Vol. V. ibid. eod. Vol. VI. ibid. 1804. Vol. VII. ibid. eod. Vol. VIII. ibid. 1805. Vol. VIIII. ibid. eod. Vol. X. et ultim. ibid. eod. Repertorium generale etc. Vol. XI. ibid. 1806. Vol. XII. ibid. eod. Vol. XIII. et ultim. Repert. ibid. eod.

Non nisi summa cautione euoluendus.

p) Bibliotheca historica, instructa a b. Burcardo Gotth. Struuio — aucta a b. Christi. Gottl. Budero, nunc uero a Ioa. Georg. Meuselio ita digesta, amplificata et emendata, ut paene nouum opus uideri possit. Voll. XI. quorum singula duabus constant partibus. Lips. 1782 — 1804. octon. mai.

Hi sunt, quos in primis et saepissime consuluimus, recentissimi temporis Bibliographorum celeberrimorum indices literarii insigniores. Reliquos, data occasione tantum laudatos, hic silentio praeterimus, e notationibus nostris cognoscendos.

Haec sunt, quae de Bibliotheca iam auctionis lege atque praescripto distrahenda uendendaque pluris licitantibus, deque primo Indicis uolumine, quod typorum non ineleganti forma expressum iam in uulgus datur, habemus dicenda.

Reliquum est, ut pauculis leges quasdam finiamus conditionesque, quibus implendis adstrictos uolumus, quiqui librorum ex hocce incomparabili thesauro sibi parandorum cupidos se non simulabunt, sed uere demonstrabunt. Primum ne unus quidem traditur aut transmittitur liber, nisi condicta pecuniae summa soluta, et quidem proba moneta. Dein, quod ad exteros in primis attinet, si qui Norimbergae non sunt, quorum fidei de libris emendis committat sua secure mandata, hunc uolumus rogatum, ut hanc emendorum librorum prouinciam deferat statim nominandis, honestissimis uiris aequissimisque, qui, dummodo de pecunia caueatur, literarumque scribendarum ac transmittendorum uoluminum cuiuis emptorum faciendis sumtibus omnibusque omnino supersedeant expensis, ad hoc negotium solerter strenueque in emtorum commodum procurandum faciles se, promtos paratosque praestabunt.

Sunt vero hi:

*Onoldii*, Mercator librarius Gassertus.

*Augustae Vindelicorum*, Professor May.

*Byruthi*, Professor Fikenscher.

*Coburgi*, Negotiator Librarius Sinner.

*Dresdae*, — — — Arnold.

*Erlangae*, — — — Palm.

*Francofurti ad Moenum*, Negotiator librarius Simon.

*Freysingae*, Antiquarius Mozler.

*Furthae*, — — Heerdegen.

*Gottingae*, Negotiator Librarius Dietericus.

*Halae*, — — — — Hendelius.

*Heidelbergae*, — — — Mohr et Zimmer.

*Helmstadii*, — — — Fleckeisen.

*Ienae*, Commissarius aulicus Fiedler.

*Landshuthae*, Consiliarius aulicus et Bibliothecarius Siebenquesius, D.

*Lipsiae*, Vniuersitatis Proclamator, Weigelius.

*Monachii*, Negotiator Librarius Gielius.

*Neoburgi* ad *Danubium*, Professor Seybold.

*Norimbergae*, Negotiator operum artis, Frauenholz.

— — Antiquarius Geyer.

— — Librarius et Auctionator Lechner.

— — Diaconus Roth.

— — Bibliopega Schwemmer.

— — Condiaconus Wilder.

— — Librarius Zehe.

*Pappenhemii*, Pastor Gerlachius.

*Ratisbonae*, Iudicii urbani Consiliarius, Emmerichus, D.

Libri Saec. XVI. impressi.

a. Millen. I. nr. 649 – 855.

b. Millen. II. nr. 856 – 1062.

c. Millen. III. nr. 1063 – 1364.

d. Millen. IV. nr. 1365 – 1610.

e. Millen. V. nr. 1611 – 1794.

I. Libri

# I.

# Libri manuscripti,

et

# membranacei et chartacei.

## A) Codices Bibl. Hebraici.

### In Folio.

1. Codex hebraicus Vet. Test. membranaceus. Sec. XIII. Continet

a) maximam partem Pentateuchi cum uersione Onquelosi chaldaica, singulis uersibus hebraeis statim subiecta, excepto maris cantico, ubi chaldaica extra lineam in margine minoribus elementis descripta cernitur.

b) Haphtharas quasdam, f. lectiones propheticas.

c) Megilloth, nempe Lib. Ruthae totum — Cantici Canticorum particulam — Ecclesiasten — Libr. Estherae — Threnos — Iobum, qui voce שדי uers. 2. cap. XXXII. finitur.

Notandum, quamlibet paginam tribus columnis aequalibus constare, unamquamque columnam triginta lineis, nisi id pictura aliqua masorethica impediat, absolui — per totum h. codicem adparere masoram magnam et paruam — figuras, magnae haud raro additas, conuenire interdum argumentis locorum; saepius autem scribae arbitrio deberi — nomen יהוה per compendium duobus יי exaratum, lineolâ utrimque incuruatâ super impositâ — In uers. Aramaea scribi haud raro compendiose ישר׳ pro ישראל — litteras h. Cod. esse nigerrimas; puncta autem et masoram pallere — adesse

literas maiores ab initio nouae paraschae, aut noui libri, aut nouae haphtharae— nec deesse Keri et Ketibh.

Vid. b. de Murr Bibl. Ebneriana pag. 77 — 79 ab eoque citata b. Nagelii diss. de tribus Codd. Mss. hebraicis. Altd. 1749. quat. it. Diss. de duobus Codd. Mss. V. T. Bibl. publ. Norimb. c. Specimine uariae Lect. ex IV. Codd. (nim duobus Ebnerianis et duobus Biblioth. publ.) Mss. V. T. ibid. 1769. quat.

2. Codex hebraicus Sec. XII. membr. Continet partem libr. I. Samuelis a uoce המלך commatis 24. cap. XX. et lib. posteriorem Sam. Ieremiam — duo lib. regum — partem Ezechielis — partem Iesaiae — XII prophetas minores — Micham — Nahumum — libellum Ruthae — Psalmos, at sine Iudaica diuisione in V libros — Iobum — Salomonis prouerbia c. Ecclesiaste et Cantico canticorum — Threnos — Danielem — Estherae historiam, at mancam — partem Esrae — Nehemiam — partem libri prioris Chronicorum.

Sciendum, h. Cod. maioris esse antiquitatis, quam priorem, ob membranam tenuiorem; maioris uetustatis non spernendum argumentum — paginas in tres diuidi columnas — solo constare sermone hebr. — cum punctis, vocalibus, Masora parua et quibusdam notis ex Masora magna — characterem esse expressum et perspicuum ac nigrum — uocales et accentus palloris habere minus, quam in priori cod. cui tamen elegantia cedit — in punctis ualde accuratum, multa singularia habere — haud pauca ueteris orthographiae et pronuntiationis uestigia seruare — At Masorae uerba et signa magis pallida quam puncta — omissis omnino haphthararum notis, adesse tamen Keri et Ketibh. — Cod. istum antiquissimis ac praestantissimis esse adcensendum, iudicat Kennicottus V. T. Tom. 2. Oxon. 1780. fol. max.

Vid. b. Nagelii Diss. supra citat. c. eiusd. Diss. philol. in uariantes Lectt. XXV. Capp. priorum Ieremiae ex duobus Codd. Mss. desumtas. Altd. 1772. 4.

Add. Vol. I. uarr. lectt. V. T. etc. op. Io. Berna. De—Rossi. Parm. 1784. 4 max. pag. LXX. — aliaque in h. not. a nobis omissa ap. b. de Murr in Biblioth. Ebner. pag. 79 — 81.

3. מְגִלָּה אֶסְתֵּר Volumen Esther, eleganter scriptum.

V. de Murr, qui addit, eiusmodi Volumen esse quoque in Bibl. Vniuers. Altdorf. Bibl. Ebner. p. 99.

4. E Rabbi Mosis Maimonidis opere יד חזקה tota Pars secunda, seu Operis Liber quartus ספר נשים it. ספר קדשה et Part. tertiae lib. primus ספר הפלאה siue e XIV. libris Operis Maimonidae lib. IV. V. et VI.

Codex rabbin. uetustus optimeque conseruatus, c. edit. Veneta 1574 a b. Nagelio collatus. Lect. uar. inde conlatas Cap. primi Tract. secundi אסורות מאכלות Libri quinti inuenies in b. Nagelii iam supra citata diss. de tribus Codd. MSS. hebraicis Biblioth. Ebner. Altd. 1749. 4. §. XVIII.

---

## B) Cod. gr. N. Test.

### In Quarto.

5. Codex graecus noui Testamenti Fol. 425. Saec. XII. membr.

Constat totus cod. foliis membr. 425, quorum paucissimae paginae adparent nudae et inanes. Decem et quatuor folia priora, quae postliminio accesserunt, crassiori, ac, si spectes latitudinem, minori; reliqua omnia puriori et subtiliori inscripta sunt membranae. — In integumento argenteo nouo, (in cuius latere eminent quinque ex argento confectae eaeque deauratae stellulae,) quo b. perill. Dom. Possessor hunc codicem ornauit, conspicitur eburneo artificio Saluator mundi sedens in throno atque benedicens. Quae supra posita uerba leguntur scripta literis quadratis, scribendi modum h. codicis exhibentibus uid. ap. Conr. Schoen-

leben, qui de h. cod. egit ex professo in Notitia egregii Cod. gr. N. T. quem Norib. seruat Vir illust. Hieron. Guil. Ebner ab Eschenb. rel. Norib. 1738 c. 13. tab. aen et de Murr in Bibl. Ebner. pag. 100 — 131. ubi fuse, nec sine uariis mulusq. additionibus descriptus.

---

## C) Cod. Bibl. Latini.

### In Folio.

6. Biblia Vulgata a libro Esdrae incipientia usque ad finem N. T. Saec. XV. chart.

7. Biblia Sacra V. et N. T. uulg. uersionis, nitide descripta, c. litt. init. eleganter pictis uariisque ornatis figuris. Saec. XIII. u. sub initium Saec. XIV. exarata.

Conueniunt exacte c. Bibl. impress. Norimb. ap. Joh. Petreium a. 1529. in 8. maj. Cod. membr. admod. mancus.

8. Die Psalmen Dauids, lat. u. deutsch Saec. XV. chart.

9. Die Bibel der armen, s. compendium Bibliorum Vet. et N. Testamenti. Saec. XV. membr.

De ejusdem argumenti cod. at in forma duod. inuenies fuse disputata in Bibl. Schwarz. P. II. p. 19 — 23. et Add. p. 399.

10 — 11. Achatii Hüls Translatio latina Bibliorum, e graeco sermone. 1608 — 1612. chart.

Merum hoc esse glaucoma obseruat de Murr. Bibl. Ebner. p. 63. Totam enim istam Versionem ab Achat. Hülsio descriptam e Bibl. polyglottis Antuerpiensibus a 1565 seq in fol. maj. ex off. Christoph. Plantini — N. T. uersionem sumtam e Bezae uersione.

### In Quarto.

12. a) Canticum Canticorum Saec. XIII. membr.

b) Prouerbia et Ecclesiastes Salomonis, c. gloss. Saec. XIII.

Commentarius adjunctus recentioris aet. Saec. nim. XIV. esse uidetur Murr. in Bibl. Ebn. p. 131. ubi et addit, deficere folia 39.

13. S. Marci Euangelium, c. gloss. Hieronymi et Bedae. Saec. XIII. it. S. Iohannis Euangelium glossatum. Saec. XIV. membr.

14. Iohannis Euangelium glossatum, quod a uers. 30 cap. IX. incipit. Saec. XIV. membr.

15. Epistola Iacobi, Ep. I et II. Petri et Epist. I. Iohannis ab initio usque ad uers. 3 Cap. quarti Saec. XIII. membr.

16. Apocalypsis c. glossis. membr. it. Canticum Canticorum, glossatum. Saec. XIV. membr.

17. Biblia latina uulgata Saec. XIII. fol. 613. membr.

Codex nitide scriptus.

---

## D) Codices MSS. Arabici, Persici, atque Turcici.

### In Folio.

18. Liber turcicus uariarum computationum chart.

Ap. de Murr. num. 31.

19. Variae Surae s. Capita Corani.

Murr. num. 82.

20. Variae literae turcicae commeatuum.

Multae sunt conuolutae. Murr. num. 118.

21. Coranus splendissimus, in fol. minori.

Omnium Surarum tituli, nitidissime exarati, superbiunt auro. Partitiones marginales finesque uersuum circulis aureis distinguuntur. Subdiuisiones et nonnullae notae diacriticae atramento rubro miniatae sunt, quas falso notas musicas esse putarunt non nulli — Quaelibet pagina habet decem lineas, arabicas, nigro liquore elegantissime exaratas, cingiturque lineis nigris,

caeruleis et miniatis, auro distinctis. - Ora paginarum latissima. — In Cod. calce dieta minio scripta, et post declarationem pristini h. Corani possessoris, qua dicit, se illum filio suo natu iuniori donasse, additus annus Hegirae 1079. (A. C. 1669,. Vid. de Murr. Bibl. Ebner. p. 168. num. 142. ubi plura de h. Cod.

22. Translatio turcica operis persici, cui titulus: צערג אלנבוה פי מדארג אלפתוה i. e. Eleuatio ad propheticum spiritum per uiam uirtutis Auct. Hadschi Muhammed Ferabi.

Vers h. turcicae auctor est Molla Mustafa, fil. Chalidi. Vers. arabicam concinnauit Muhammed fil. Muhammedis Altiparmak Zade. De h. libr. argumento uid. de Murr. Biblioth. Ebner. p. 170. — Sub op. calcem an. 1093 i. e. an. Christi 1681. Opt. seruat. Murr. nr. 143.

## In Quarto.

23. Coranus, mancus.

Murr. nr. 25.

24. Muhammedis Abu Dshafar ben Dsherair atque Tabari Historiae uniuersalis, in linguam turcicam translatae, pars.

Murr. nr. 26.

25. Coranus, mancus.

Murr nr. 27.

26. Capita quaedam Corani.

Murr. nr. 28.

27. Script. arab. argumenti moralis.

Murr. nr 29.

28. Liber turcicus de Legibus et Politia; script. ann. Heg. 1067 (A. C. 1657.)

Murr. nr. 30.

29. Lib. arabicus 108 foliorum.

Continet religionis Muhammedanae systema. Vid.

Murr. Bibl. Ebner. p. 171. sq. nr. 31. ubi de h. Cod. plura.

30. Surae e Corano.

Murr. nr. 32.

31. Poemata arabica s. Cantiones.

Murr nr. 34.

32. Liber turcicus.

Murr. nr. 49.

33. Foliorum 40. a) Variae schedae turcicae. b) Corani capita nonnulla et exercitia in scribendo alphabeto arabico.

Murr nr. 71.

34. Poemata turcica.

Murr. nr. 87.

## In Octavo.

35. Surae e Corano.

Murr nr. 3.

36. Surae e Corano.

Murr. nr. 8.

37. Liber turcicus, ab initio et in fine mancus.

Murr. n. 9.

38. Liber turcicus poeticus.

Murr. nr. 10.

39 — 42. Surae e Corano.

Murr. nrr. 16, 29, 30 et 35.

43. Liber persicus rhythmicus, script. an. Hegirae 960. (A. C. 1553.)

Murr. nr. 36.

44. Liber precationum arabicarum et turcicarum.

Murr. nr. 39.

45. Variae literae commeatuum atque computationum turcicarum. Adseruantur in theca.

Murr. nr. 47.

In Duodecimo.

46. Liber precationum turcicarum, cum Suris aliquot e Corano.

Murr. nr. 15.

47. Surae Coranicae.

Murr nr. 16.

48 — 51. Precationes turcicae, c. Suris Coranicis.

Murr. nrr. 19, 20, 21, 25.

52. Corani Sura XXXVI et LXVII, c. precatiunculis arabicis, intermixtis aliquot Suris breuibus et precationibus turcicis. Sura XLVIII de Victoria, scripta sine vocalibus.

Murr. nr. 36.

53. 54. Libelli precationum turcicarum, Suris e Corano interspersis.

Murr. nrr. 29 et 30.

55. Liber rhythmicus turcicus. 1586.

Murr. nr. 32.

---

## E) Codd. MSS. chartacei,

uarii generis atque argumenti philosophici, historici, geographici, itinerarii, sacri etc.

In Folio.

56. Liber Insignium 2300 gallicorum, anglicorum et belgicorum A. 1470 pictorum.

57. a) Rays Ulrich Schmidts von Straubingen, so er Anno 1534 aus Antorff in Indiam gethan.

b) Rais gen Jerusalem und in das heilig Lande Grawe Albrechts von Lewenstein und seiner Mitgeferthen 1561.

c) Rays in das heilig Land Johann Fuxen und Michael von Lichtenstein, Thumherrn zu Bamberg und Würzburg. 1551.

58. Reichsmatrikul 1612 von Zach. Spizkoffler, Quaestore S. R. I. et Consil. Rudolfi II.

59. Neue Canzley-Ordnung, An. 1640 durch Regierung und Cammer aufgerichtet.

60. a) Commentarius super seditione Bambergensium Ciuicorum et agrestium, mit nachvolgten Inhalt. 1525.

b) Der Fürsten zu Bamberg und Würzburg und der Stadt Nürnberg summarischer bestendiger Gegenbericht und uerandtwortung auff des erklerten undt publicirten Echters Marggraven Albrechts von Brandenburg lezt ausgangen gross, unerber, leichtfertig Schmachbuch etc. 1556.

Vid. not. a b. de Murr. h. scripto subiecta, ubi, Deductio h., inquit, iam fuit impressa A. 1555. 4. plagular. 18½ subscripta d. 13. Decembr. 1554. Id quod et adfirmat Ill. de Holzschuher in Deduct. Biblioth. von Deutschland B. I. N. 631. Titulum Refutationis, ab eod. aut. relatum uid. Tom. 3. eiusd. libri N. 6531.

c) Cuiusdam Religiosi tract. contra iacula, adu. sacram et immaculatam Virg. Mariae conceptionem uolitantia. c. quibusdam quaestionibus Theologicis ac disputationibus iuridicis.

61. Landtafel des Fürstenthums Ober-, und Nieder-Bayrn darin liegende und zugehörige Gericht, Stedt, Märkt, Herrschaften, Clöster etc.

62. Chur- und Furstliche Pfälzische und Bairische Genealogia durch Wiguleum Hundt zusammen gezogen, mit andern zur Pfalzbayrischen Historie und Genealogie gehörigen Sachen.

Wigulei Hundts bayrisches Stammbuch ist in 4 Th. zu Ingolst. 1585 86. in Fol. gedruckt. Der 3te Th. ist im MS. in der Kraffischen Familien-Biblioth. zu Ulm. Sic Murr. ex Schelhornii Amoenit. litter. T. 3. p. 58.

63. Matthaei von Pappenheim Hist. Beschreibung des Geschlechts der Truchsessen von Waldburg bis auf Georg den 78sten 1526.

Folia aliquot ab initio posita mutila et ut uidetur a muribus arrosa.

64. a) Verschiedene Verein und Ordnungen der Gesellschaft St. Georgen-Schilds an der Donau, von A. 1470 — 1482.

b) Ein alter Türkenzug und Ordnung A. 1466 zu Nürnb. fürgenommen.

65. De rebus Croatarum tractatus.

Vol. mutilum.

66. Melchiors Ossa Bedenken, dem Churfürsten in Sachsen, August, übergeben.

67. Wolf von Witzisowitz Rechte und Ordnungen des Landes zu Böheim, wie solche unter Kaiser Maximilian II, auf Anhalten der Landstände verbessert und vermehrt worden, mit einverleibten unterschiedlichen Verträgen A. 1564.

68 — 70. Miscellaneorum Imperii
Tom. I de An. 1663 — 1666.
Tom. II. 1664 — 1674.
Tom. III. 1660 — 1681.

71 — 73. Regensburgischer Reichstags-Actorum.
T. I. 1662 1666.
T. II. 1666 — 1672.
T. III. 1672 — 1675.

74. Die Uffsatzungen der Brieff und Recht der Statt Strassburg etc. 1470.

Initium horum Statutorum reperitur in Schilteri nott. ad Koenigshofen Chron. Alsatiae p. 700. V. Murr. Bibl. Ebner. p. 65.

75. a) Process-Formulare des Kayserlichen Hofgerichts zu Rotweil.

b) Concept der Relation der gehaltenen Visitation des Cammergerichts 1556.

c) Formularia Processus cameralis. Prothocollum c. productis actorum in Sachen des Herrn Arnolds Grauen zu Bentheim, contra den Herrn Fursten Franzen Bischoffen zu Münster, in causa primi Mandati Horstmar betreffend. An. 1548.

d) Articulirte Clag Marquart von Stein etc. Neuburg. 4. May 1563.

76. Chronica der Stadt Neumark, in der obern Pfalz 1567.

Procurrit usque ad an. 1300. Murr. Bibl. Ebner. p. 65.

77. Geschriebene Zeitungen v. J. 1582 — 1591.

78. Lectio Domini Iasonis, Doct. celeberrimi, manuscripta, super Codice. Ex libris Ioa. Conradi a Vhorburg. 1586.

79. 80. Ioh. Iak. Fuggers Oesterreichisches Ehrenwerk. Tom. II. v. 1386. Tom. III. von 1463 — 1485.

E Biblioth. Ioh. Bapt. Suttingeri, in Thürnhof, Cancellarii et ab initio huius operis Directoris.

81. Liber figurarum astronomicarum 1520 et 1522., fol. reg.

82. 83. Eberhard Windecks Historie des Lebens Kaisers Siegmunds, mit gemalten Figuren. 2 Bände, Saec. XV.

Cod. in medio mancus.

84. Ein altes gemaltes Wappenbuch Saec. XV.

85. Chronica des Erzstiffts (Salzburg von 537 — 1665.

86. Ein Wappenbuch Saec. XVI, XVII und XVIII.

Pleraque Insign. eleganter picta

87. Ursprung, Ordnungen und Urkunden der Gan-Erben des Schlosses zum Rothenberg, in der Obernpfalz von 1360, nebst einem alphabetischen Verzeichnisse solcher Geschlechte von 1478 her. Mit vielen Prospecten und Actenstücken.

88 — 92. Opera miscellanea Josephi Guilielmi S. R. Imp. L. B. de Bertram, S. Caes. Mai. Cons. Imp. Aul. V. Tomis.
Tom. I. latinus, historico-litterarius.
Tom. II. latino-germanicus, iuridicus.
Tom. III. germanicus, historico-epistolicus.
Tom. IIII. gallicus. Recueil sur les Ambassadeurs, et Ministres publiques; (erat iam impressus) cum multis literis gallicis statisticis.
Tom. V. italicus, Politica uaria et epistolas continet.

93. 94. Geistreiche Gesänge und Lieder auf alle Sonntags Evangelien und Episteln. V. Tom. c. figg. aen.

95. Hochfürstlich - Bambergisch - und Würzburgisches Zeitregister — bis 1680.

96. Ein Band schöner Stücke zur Historie der Stadt Regenspurg gehörig.

97. Miscellanea s. Collectanea philologica Ioh. Georg. Richteri., ICti.

Sunt excerpta e Libris.

98. Miscellanea Imperii., a Richteris, Patre et Filio, ICtis, collecta.

99. Hub. Giphanii, ICti, Tractatus de Iudiciis s. ordine iudiciorum, publice propositus in Academia Ingolstadiana.

100. a) Varia Consilia ex Iure publico.

b) Allerley Verträg der frenkischen Ritterschafft.

101. a) Beschreibung des Fr. Pf. Landgerichts Sulzbach auf dem Nortgau, in sechs unterschiedlichen Libelln, auf gnädigen Bevelch der Durchlauchtigen, Hochgebohrnen Fürsten und Herren, Herrn Philips Ludwig, und Herrn Otto Heinrichens etc. durch Christoph. Vogelium, Pfarrern zu Regenstauff. a. 1603.

b) Verzeichnus der Landstände des Fürstenthum Neuburgs, wie sie uff den 6ten Octob. 1652. zum Landtag beschrieben waren.

102. a) Catalogus und Wappenbuch etlicher Kaiserlicher Räth und Regenten des Regiments der Nieder-Oesterreichischen Lande vom Herren - Ritter - und Gelehrten - Stand, soviel deren unter Kaisern Ferdinand I, Maximilian II. und Rudolph II. von A. C. 1529 an, mit etlichen ihren Symbolis und Landsarth, auch Dienst - und Absterbenszeit erkundigt worden, durch Wilhelm Bernharden von Friedeshaimb etc. bis A. C. 1607 colligirt.

b) Idem Catalogus von K. Matthiae Regierungs - Antrettung von A. C. 1608 — 1658 zusammen zu richten bevolhen durch den Herrn Grafen Paul Sixt Trautson.

105. — 5. Loci communes c. indice a Georg. Richtero conscripti.

106. Anonymi Collegium feudale, d. 26. Maii 1612. conscriptum.

107. Historische Collectanea, oder Quodlibeta von ziemlich schlechter Art 1663.

108. a) Loci communes camerales, ex Symphoremate Adriani Gylmanni collecti,

b) von der Nachsteuer der Professorum zu Altdorf. Ein Bedenken Cons. Dilherrn vom 25. Nov. 1673.

109. Handlung uff dem Landtage zu Torgau den 3 Septembris A. 1576 ergangen. Item vom 20. Oct. 1588. vom 22. Febr. 1592 etc.

110. Histori der Bischoffen zu Wirtzburg durch Lorenz Friesen, Fürstl. Rath und Secretari zusammenbracht und geschrieben, bis 1546.

111. a) Weissenburgische Chronik, vom Jahre 790 bis 1700 etc. von M. Joh. Alex. Doederlein.

b) Eiusd. Kurze Nachricht von der Stadt Weissenburg am Nordgau.

112. Laurentii Kirchouii et celeberrimarum Academiarum Consilia, s. Responsa Tomi V. (Francof. 1594. fol. impressa fuere.)

113. Ioh. von Mandauilla Reisebeschreibung in das gelobte Land 1415. Scriptum per Nicol. Hohenstat de Winnpia, Presbyterum Bambergensem.

114. Unterschiedliche Spiel und Vorstellungen des Dam-Spiels, von Wolfg. Schmidt, Cristall- und Glasschneidern, A. 1700.

115. Nachrichten von der löbl. Reichsstadt Schwäbisch Hall. c. figg.

116. Des Hochgefreyten löbl. Stiffts Würzburg Ursprung etc. Kurze und wahrhaftige Anzaigung bis 1546. Auct. Ioh. Reinhardo.

117. Collectanea numismatica Dom. Christoph. Iac. Imhof.

118. Cronica di tutti li Dosi (Dogi) Venetiani usq. ad an. 1554. cum eorum Insignibus, eleganter pictis.

119. Idem Chronicon, cum continuatione usque ad an. 1612. c. insignib. eleganter pictis.

120. Tomus decretorum Regum Hungariae, a Paullo de Gregoriianez, Episcopo Zagrabiensi et Iauriensi collectus.

Autor h. compilationis se nominauit ipse fol. 467. Diem suum obiit A. 1563.

121. Miscellanea iudicatorum in Iudicio Camerae Imperialis de A. 1560.

122. Nachrichten von dem Hörmannischen Geschlecht und dessen Adel.

123. Uniuersalis Hispaniae Tractatio, c. multis Vett. inscriptionibus.

E libris, praecipue e Gruteri Thesauro Inscriptionum.

124.a) Das Puech der Heilligenn Patriarchen und Vätter der Weyssagenn.

b) Ein Landrecht Puech. Saec. XV.

125. Widerlegung der Argumente der Prinzessinn Wilhelmine von Culmbach wider ihre Frau Mutter wegen 4000 jährlicher Gulden; von Albert Ioseph Grafen von Hoditz.

126.a) Die Klag der Universität wider den Rath zu Wien.

b) Von dienstparn oder zinsparn Gründen. Saec. XVI.

127. Bayrisches Landgericht von 1616.

128. Bibl. Historien in alten deutschen Reimen, von Anfang der Bibel bis auf König Salomon, mit gemalten Figuren. Saec. XV.

129.a) Das hohe Lied Salomons in drey Büchern erklärt.

b) Der Kuttenmann von drey Wegen, durch die man zur Vollkommenheit kommt.

c) Das Buch der Liebkosung St. Augustini.

d) Ein gar gute Beicht von verporgen Sünden.

Scr. Ydelheit Stroserin bey St. Claren in Nürnb. 1472.

130. Cronica der Markgrafen von Meichsen etc. nach laut der Cronica auf St. Petersperg, von 800 — 1483.

131. Liber Insignium Regionum atque clenodiorum Regni Poloniae, s. Regni Poloniae Ducatuum Insignia s. arma 1575.

Insignia eleganter picta, codexque optime seruatus.

132. a) Spigel des menschlichen Lebens Roderici de Hispania, Episcopi Zamorensis, verteutscht durch Heinrich Steinhöwel, Docter in der Arzney etc. (Augsburg, durch Günther Zainer, 1475.)

b) Alberti von Eybe I. V. D. ob einem manne sey zu nemen ein eelichs weyb oder nit. Nurnberg, 1472.

Ap. Ant. Koburger. Secunda uice impressit Günther Zainer Aug. Vindel. eod. anno. V. Murr. Iournal zur Kunstgeschichte und zur allgem. Literatür. T. 2. p. 393. — Roederi Cat. Libr. Sec. XV. Norimb. impress. pag. 2. nr. 14. Quoc. conf. b Panzeri Aelt. Buchdr Gesch. Nurnb. p. 19. et 176. nr. 399. inpr. eiusd. Annal. p. 67. nr. 16. et 69. nr. 18. Thesaur. bibl. P. 1. pag. 121.

c) MS. Cronike der Römer beschrieben von Bruder Mertein, Penitencier und Caplan, um das Jahr 1431.

Impressa postea Augustae Vindel. ap. Ioh. Bämler, 1473. in fol.

133. Statuta der Erzbrüderschaft S. Trinitatis de Redemtione Captiuorum, et Beat. Mariae Virginis de Remedio. A. 1663.

134. Bambergischer Moderationsgesuch in der Reichs-Matricul de A. 1551, 1555, 1556, 1557, 1566, 1567 und 1568.

135. Relatio de Captiuitate Philippi Camerarii et Petri Rieten Romana etc. A. 1565.

Impressa in Ioh. Georg. Schelhornii Comment. de uita, fatis, ac meritis Phil. Camerarii Norimb. 1740. 4. Vid. Murr. Biblioth. Ebn. p. 71.

136. Chronica über die Herrschaft Trautenau, bis zum J. 1056. Von Simon Hüttel, Maler zu Trautenau, seines Alters 65 Jahr. Geschrieben 1592.

137. Chronik der Städte Bern und Friburg. Saec. XV.

138. Pappenheimisches Saalbuch, 1542 aufgerichtet, und 1595 erneuert durch Hannsen von Eyb etc.

139. Ein Wappenbuch, schön gemalt.

140. Das Leben verschiedener Heiligen. Saec. XV.

141. Das Leben der Erzbischöffe und Churfürsten zu Cölln, durch I. M. F. V. H. Römisch Kaiserl. Majest. Rath und Truchsessen etc. Vom J. 83 — 1688.

142. Arzney Buch. Saec. XVII.

143. Nürnb. Chronik in deutschen Versen, mit den Wappen der geadelten Geschlechter. Saec. XVI.

144. Vertrag zwischen Chursachsen, und dem Dom-Capitel zu Halberstadt über die Grafschafft Mansfeld 1573. Ferner mit dem Erzstifft Magdeburg, A. 1579.

145. Collectanea aus verschiedenen gedruckten Büchern.

146. Diarium der italienischen Reise des Churprinzen von Bayern, von 1715 und 1716.

147. Achitectura defensionis offensionisque, von Tob Fürlegern. Norimb.

148. Beschreibung der Ottomannischen Monarchie, und Vorschlag, wie sie könnte ausgetilget werden, mit sauber gezeichneten Vorstellungen einiger Städte etc. 1649.

149. a) Die 24 guldin Harpffen aus der Offenbarung Iohannis und Collationibus Patrum beschrieben. Von Hans Nieder, Ord. Praedicator. 1442.

Roederi Cat. pag. 9. nr. 65. Pant. Ann. pag. 66. ubi de uariis editt. Ejusd. Aelt. Buchdruck. Gesch. Nurnb. p. 30. nr. 34.

b) Von der Liebhabung Gottes.

c) Von vier Einsprüchen 1) Gottes, 2) der Engel, 3) des Teufels, und 4) der Natur.

Dar-

Darnach hebt sich an ein Tractat von der Vnterscheidung des Geist, der würdigen und erleuchten Meister Heinrich von Hessen, der den Tractat gemacht hat etc. 1495.

d) Von Kampfkriegen der Vernunft.

150. a) Beschreibung der Krönung Ferdinands III. und seiner Gemahlin zu Regensburg, 1637; durch Ioh. Hauer, Maler und Kunsthändler.

c. tabulis aeneis.

b) Hasta suspecta, oder Anzeigung etlicher Ursachen, warumb das Speer oder Spiesseysen, so zu Nürnb. weit über 200 Iahr behalten wird, fur das rechte Speer oder Lanzen, damit des Herrn Christi Seiten am Stamm des Kreuzes eröffnet worden, ohne Verdacht nicht gehalten werden kan.

V. de Murr. Diarii literarii Tom. XVI. pag. 218 sqq. ubi typis descriptum, et publici iuris factum.

c) Von dem Heiligthum, wie es alle Iahr in Nürnb. ausgeruffen, und gewiesen wurde.

Est apographum ex edit. 1439. obs. de Murr. Bibl. Ebner. p. 73. Roederi Cat. p. 42. nr. 325. Cf. Panz. aelt. Bdgsch. Nurnb. p. 107. nr. 165. et pag. 132. nr. 218. Eiusd. Annal. der aelt. deutsch. Litererat. p. 200. nr. 352. ubi de uar. editt.

d) Die hystori des Lebens sterbens und wunderwerk Sebaldi etc.

Ap. Roed. in Cat. id. lib. form. quadripart. obuius in Bibl. Scheurl. mirae antiquitatis. p. 58. nr. 473.

151. Auszug der Chroniken von Oesterreich, mit gemalten Wappen.

152. a) K. Friederichs III. Reformation des heimlichen Gerichts. Saec. XV.

b) Caroli IV. güldene Bulle. Saec. XV.

Impress. ead. latine ap. Ant. Koburger Norimb. Fol. nrr. 39. 52. 754. ap. Fr. Creusn. nr. 54. V. Roederi Cat. ibiq. numeros. citt. Memorab. Bibl. Zapf. T. I. p. 356.

ubi de sec. edit. ab Anth. Koburger procurata. De edit germ. vid. h. Panz. Aelt. Bchdgesch. Nbgrs p. 176. nr. 31 inpr. eiusd. Annal. p. 31. n. 51.

c) Sigismundi Reformatio ecclesiastica.

153. Anonymi sonderbare Vorschläge, auf was Art Kaiserl Majestät ein grosses Kriegsheer, sonderlich wie den Türken, zusammenbringen könne, was solches kosten würde, und welche Ordnung dabey zu beoachten wäre. Mit gemalten Figg. 1527.

154. Virgilii Ruber, Sterzingensis, Malers, Wappenbuch.

Sunt 7244 Insignia picta.

155. Ein Landrechtbuch, und dann ein Lehenbuch.

Est pars Speculi Suecici Saec. XV.

156. Grammatica italica et germanica. Foliorum 98. Script. A. 1423.

Vid. de Murr. Bibl. Ebner. nr. 110. p. 74.

157. a) Iacob. de Theramo de uictoria Christi contra Satanam. Iohannes meyssener de rochlitz scripsit ann. dom. 1467.

b) Fr. Hermanni de Stildtitz Tract. contra Leonistas, s. pauperes de Lugduno haereticos, dicentes, Missae comparationem esse speciem Simoniae, et nil ualere 1471.

c) Fr. Simonis de Cremona, Ord. fratr. Eremitar. S. August. (1360) Opus praedicabile ad populum super epistolas dominicales 1463.

Impressum dein Reutlingae 1484. fol. obs. de Murr. Bibl. Ebner. pag. 74.

d) Henr. de Hassia Tractatus sub figura diuersarum picturarum. 1483.

e) Ieronimi lib. ad Susannam de lapsu uirginis consecratae.

f) Alph. Bonihominis, Hispani, Ord. Praedicator. epistola Mag. Samuelis, Iud. Fessani, (Saec. XI.) ad Rabbi Isaac magistrum Synagogae ciuitatis Fessanae. Ex Arab. Script. Saec. XV.

Vixit Alph. Bonushomo A. 1337. Plura de h. scripto ap. Murr. Bibl. Ebner. p. 75. sq. De frequenti h. scripti impressione uid. Wolfii Bibl. hebr. Vol. III. p. 1100.

g) Explicatio Euangelii festo die Annunciat. Mariae. Saec. XV.

158. Wappen des Venetianischen Adels. 1602.

159. Anonymi Leben der alten gedultigen Philosophen, und wie sie mit Gedult gros Lob, Weisheit, und ein ewigs Seelgeräth und Gedächtniss gemacht und erworben haben. Saec. XV.

160. Siegmund Maysterlins Chronik der Stadt Augsburg. 1457.

Cum figuris illuminatis.

161. M. Ioh. Hartlieb, Med. D. Uebersetzung Eusebii de Alexandro Magno, zu Ehren Herzog Albrechts in Baiern und Annä von Braunschweig seiner Gemahlinn. (Cum spatiis figurarum) Deo gracias Iohannes Currificis. 1464.

162. Calender und Practica vom Iahr 1466.

163. Symbolum Athanasianum, c. commentario s. glossis. Saec. XIV.

164. Bairisches Landrecht, auf Befehl Kaisers Ludwigs IV. aufgericht und eingeführt durch Ludwig Marggraf zu Brandenburg, Stephan, Ludwig und Wilhelm, Pfallenzgrafen bey dem Rein und Herzogen zu Baiern A. 1346. Samstag nach den obristen.

Codex coaeuus, in membr. nitide scriptus, foliot. 58. B. Ioa. Heumannus, Academiae Altdorf. dum uiueret, decus, illud Ius Bauar. edidit e suo Cod. A. 1438 scripto, additis uariantibus lectionibus Codicis Ebner. et Schwarz. in Opusc. quibus uaria iuris germanic. itemque historica et philologica argumenta explicantur. Norimb. 1747. 4mai. Num. II. p. 11—288.

Vide de Murr. Bibl. Ebner. p. 91.

165. a) Haimonis Presbyteri Expositio super Apocalypsin Iohannis.

b) Anselmi, Archiepiscopi Cantuariensis, liber de peccato originali. Saec. XIII.

Opp. eius impressa A. 1491 in Fol. min. per Casp Hochfeder obs. de Murr. Bibl. Ebner. pag. 92.

166. S. Hieronymi Epistolae. Saec. XIII. uel XIV.

167. a) B. Hieronymi, Stridonensis presbyteri, Versio lat. Historiae ecclesiasticae Eusebii Caesar. c. suis additamentis. Saec. XIII.

b) S. Sixti, papae et martyris, enchiridion c. prologo Ruffini.

168. Alle Schlachten K. Gustav Adolphs in Dentschland. Zusammen getragen und aus Ihrer Königl. Mayestät eigenhändigen Concepten delinirt von Oluff Hanson Quartiermeister. Copirt Ioh. Pet. Kirstenius.

169. a) Codex elegans Saec. XIII. literis initialibus deauratis.

b) Iohannitii Isagoge in tegni (technin) Galeni. Saec. XIII.

Haec introductio in artem paruam Galeni celeberrima. Vid. b. Halleri Bibl. anat. T. I. p. 127. obs. de Murr. Bibl. Ebner. p. 92.

De nomine Iohannitii uid. quae habet de Murr. e b. Halleri Bibl. Med pract. T. I. p. 748. sumta in eod. libro not. subi p. 92. qui et obseruat, illam Isagogen prodiisse Ven. 1501. fol. Lugd. 1516. 8.

b) Phylateri (Philothei, Philareti s. Theophili protospatharii temp. Imp. Heraclii) liber de scientia pulsuum.

Editus est h. lib. Basil. 1533. 8. Argent. 1535. 8. interque Medicos principes ap. Henr Stephanum 1567. fol. — Text. gr. latere adhuc in Bibl. Reg. Paris. fol. addit Murr. Bibl. Ebner. p. 93.

c) Liber urinarum Theophili.

Typis eum exscriptum esse in collectione, cui titulus Articella, Venet. 1483. 1493 fol. Argent. 1535. 8. et in al. collectionibus. Graece hunc edidisse Freder. Morellum

Paris 1608. 12. notum. At melioris notae editionem e cod. Bodleiano Thom. Guidotium procurasse Lugd. Bat. 1703. 8. obs. de Murr, Bibl. Ebner. pag. 93.

d) Lib. I et II. Aphorismorum et Prognosticor. Hippocratis; c. Cl. Galeni commentariis, interprete Constantino Africano, (mortuo a. 1087 in Cassinensi coenobio) qui ex Arabico lat. reddidit.

Clauditur codex his uerbis: Expliciunt libri aphorismorum et pronosticorum Ypo. c. commentariis Galieni. Scripti et completi per manus Iohannis richenbergh apothecarii. Sub annis domini M. CC. tricesimo nono. In uigilia uiti martiris. Deo gracias.

In Articella Venet. 1483 fol. et Argent. 1535. 8. ut et in Conlectione ea, quae Lugd. 1505. 4. prodiit, leguntur h. scripta omnia — Galeni Isagoge, Philaretus de Pulsibus, Theophilus (qui idem est) de urinis, Hippocratis aphorismi, Techni Galeni etc. ut obs. de Murr. Bibl. Ebner. pag. 93.

170. Codex 58 foliorum. Continet

a) Puechlein von der Sphera.

b) Alkabicius d. i. Infuerund und Weisunde in die Gericht der Sternchunst.

Cum figg. et literis initialibus, eleganter pictis. Saec. XIV.

Cf. Bibl. Schwarz. P. II. pag. 132. ubi de uaria nomen hoc scribendi ratione, uti etiam de uariis editt. agitur.

c) Fragmentum Ritualis Rom. cum literis init. deauratis.

d) Mag. Nic. de Lira Postillae libri Psalmorum. Saec. XV.

171. Codex Magnentii Rabani Mauri de laudibus S. crucis. L. I et II. Cap XXVIII. In membrana. Cum multis figg. pictis folior. 49. Saec. XII.

Figuram Rabani fol. 2. exhibet Schwarzius in Diss. de uaria supellectile rei libr. Vett. Tab. 1. num. 4 ad §. XI.

Editum h. opus Rhabani, Pforzhemii, cur Ioh. Reuchlino 1503 fol. (Millen. I. n. 8.) et inter Opp. Colon. Agripp. 1627. fol. 6. Vol. Vid. Ziegelbauer hist. litt. Ord. S. Benedicti. Aug. Vindel. 1754. Sect. I. §. 5.

Rhabani Mauri Opp. edidit R. P. Ioh. Bapt. Enhueber, Prior Emmeranensium Ratisbonae.

172. Iustiniani Imp. Institutionum Libri IV. c. gloss. Script. A. 1259. Membr.

173. Fr. Egidii Romani, Ord. fratrum Eremitarum S. Augustini libr. tres de regimine principum. Diversae scripturae Saec. XIV et XV.

Impressi sunt Romae, 1482. Venet. 1489. fol.

174. Iustiniani Imp. lib. Nouellarum constitutionum, qui etiam Authenticum dicitur. Desinit in Authentica, coll. IX. lit. VI. c. 44. In membr.

Scriptura nitida. Saec. XIII.

175. Historia scholastica Eusebii, Episcopi Vercellensis. A mundo condito usque ad tempora Maccabaeorum.

Script. lingua theodisca, partim in membr. partim in charta. Saec. XV.

176. Practica Testamenti Raymundi Lulli; paginar. 27. Saec. XIV. In membrana. Theorica Testamenti dicta hic practice. Sequitur secunda pars testamenti s. practica.

Adscript. ab alia manu antiqua: Totam hanc Practicam tam ad album, quam ad rubrum habes in libello meo abbreuiatum in 3 capite in quo tamen prostat fol. 6. 7 et 9 hic autem habemus per totum ad longum.

Contulit b. de Murr. hanc cum Practica in Raymundi Lulli Testamento, edito Colon. Agripp. 1566. 8. pag. 168 seq. At ualde discrepantem a nostro codice inuenit.

177. Opus Raineri, s. Praecepta pro Ecclesiasticis et eleemosinis; sermone italico. Cum autographa Censura Ruberti Strozzi, Canonici de Pisa; A. 1491.

178. Regulae Canonicorum, decretae in Conc. Aquisgranensi DCCCXVI. Saec. XIII.

Sunt editae in Steph. Baluzii Capitularibus Regum Francorum, T. I, p. 554 seq.

179. Henr. de Corbicke Compendium theologicae ueritatis. A. 1310.

180. Althelmi episc. Carmen de laude uirginitatis, c. glossis interlinearibus. Saec. XIII.

181. Huigutionis liber deriuationum, s. dictionarium. Saec. XIV.

182. Bonauenturae Tractatus de quinta essentia. Explicit tractatus aquarum de Kyrana.

Sunt miscellanea chemica et medica.

183. 84. Ioh. Müllneri Relationum Tomi II. c. al. mscpt.

185. Varia. 1) Register des spiegels keyserlicher und gemeiner landrecht 2) Fragmenta. 3) Versio. uetus germanica Priuilegii Friderici II. Imp. 1219. 4) Varia diplomata.

186. Der Stadt Nürnberg Policeiische Ordnung und Ampter, alte Erbare Geschlechte, auch derselbigen Wappen und Cleinotten.

MSS. elegans, c. Insignibus ligno incisis et pictis.

187-89. Steph. Brechtelii et Leonardi Sehoferi propositiones librorum XV. Elementorum geometr. Euclidis in XIX tabulas redactae A. 1562. Volum. V.

Euclidis Megarensis, Mathematici clarissimi, Elementorum geometricorum Libri XV, in formas Tabularum redacti, una cum figurarum Symmetria certisque dimensionibus et applicatione numerorum tam rationalium quam irrationalium ornati per Dom. Leonhardum Sehouerum Lipzenzem et Stephanum Brechtelium ipsius discipulum, Noribergensem, Arithmeticos, anno a uirginis Partu 1562. Bambergae in patria, cum pestis Noribergae grassaretur.

Literis aureis. V. de Murr. Bibl. Ebner. pag. 97. 98. a quo et Voll. argumenta indicantur.

190. Relation deren zur Kaiserl. Crönung Ferdinandi II. nach Frankfurt am Mayn Deputirten und Abgeordneten.

191. Einzug Kaiser Iosephi I. in Nürnberg — von Veit Hieron. Holzschuher A. 1704.

192. Krönungsdiarium Kaiser Caroli VI. Dessen Einzug und Huldigung zu Nürnberg. — Carl des III. Abgesandten Durchreise nacher Frankfurt a. M. auf den Kaiserl. Wahltag.

193. Krönungsdiarium Kaiser Caroli VII.

194. Genealogia der Herren Grauen von Castell — opera et e communicatione Dni. Leonhardi Praefecti Sulzbirgensis 1717. c. augmentatione a me Ch. I. Imhoffio etc.

195. a) Die Namen der Handwerksherren in Nürnberg von 1380 bis 1733.

b) Die Herren Waldamtleute über beede Wälder von 1289-1695. Die Herren Waldverordnete von 1489-1684.

c) Ein armer Spruch vnd war gedicht wie der Zeichmeister hat zugericht durch sein Kunst ein Feuerwerk in einem Thurn zu Nürnberg.

d) Erklärung des Schönenprunen auf dem Markt zu Nürnberg, rhythmice von Hans Weber 1587.

e) Ein schöner newer Lobspruch über den schönen Brunnen, auch in Reimen.

f) 1531. Verzeichnus vonn dem christlichen bann, was er sey etc.

g) Iudicium Philippi Melanth. et Martini Lutheri de Suenkfeldio.

h) Genealogische Vorstellung, wie die von Seidel in der Lausnitz mit denen in Brandenburg etc.

196. Anonymi Explicationes Euangeliorum. Saec. XV. chart.

197. Io. de Dobergo Postilla. Saec. XV. chart.

## In Quarto.

198. Constitutiones Ordinis Velleris aurei; e gall. in lat. conuersae; impressae. Adiuncta sunt addita et immutata in Constitutionibus Ordinis Velleris aurei.

In membr. impressus codex. Recusae sunt Vindobonae 1757. fol. min.

199. Id. cod. eleganter in membr. scriptus et nitide compactus panno hombyc. rubro.

200. Tabulae Alphonsinae. Saec. XIV.

201. Opus Prudentii Saec. X. Folior. 179.

Ob antiquitatem et scripturam h. Cod. ad h. Saec. referendus uidetur. Ceterum cf. de Murr Bibl. Ebner. p. 131—35 ubi plura de h. Cod.

202. Leonardi Lauredani, Ducis Venetiarum, originale mandatum A. 1510 pro Marco Arimundo, Rect. et Prouisore Cathari ab a. 1418 Venetis subjectae Vrbis in Ducatu S. Sabae, Dalmatiae Venetae. Folior. 18 in fol.

Titulus elegantissime pictus atque deauratus est. Sigillum plumbeum b. de Murrio memoratum desideratur. In parte aduersa Dux coram S. Marco, c. epigraphe: S. M. VENET. LEO LAVRED. DVX. In auersa: LEONARDUS LAVREDANVS DEI GRA. DVX VENETIAR. ETC. Plura ap. de Murr. in Bibl. Ebner. pag. 138. 39.

203. Codex foliorum 93. Saec. XIII. Continet

a) Honorii, Presbyteri Augustodunensis, Ymago mundi, s. de dispositione orbis; i. e. Geographia, et Chronologia.

Fol. 12. incipit Lib. secundus.

Fol. 19. b. incipit Lib. III, Scripta sunt isthaec sub finem Saec. XIII. Vid. Fabricii Bibl. lat. med. III, 813.

b) Fol. 33. Tractatus chemici fragmentum. Saec. XIII.

c) Fol. 37. Tractatus de passionibus aëris. Saec. XIII.

d) Fol. 51. Theologica.

e) Fol. 55. Incipiunt documenta Sermonis fratris Alberti magni de colonia.

f) Fol. 61. Palladius breuiatus per Godefridum. Saec. XIV. Est epitome barbara. Sub finem nonnulla desunt.

g) Fol. 73. incipiunt figure excerpte de Geometria. Ad altitudinem c. speculo u. aqua metiendam., etc.

h) Fol. 83. de humana Musica.

i) Fol. 90. b. De Phisonomia (Physiognomia).

Vid. de Murr. Bibl. Ebner. p. 140. sq.

204. Der Schwaben-Spiegel. Saec. XIV. membr.

205. Iohannis Germain tractatus de uirtutibus Philippi, Burgundiae Ducis. Script. a. 1452.

206. Privilegium Doctoratus in Medicina in Academia Patauina Bern. Winterbachio datum MDCLXXXVI.

207. Hospitalis S. Mariae nouae in urbe Florentina principium, ordo et institutio. Saec. XVII.

208. Liber diaetarum uniuersalium. Saec. XIII.

209 a) Bedae Venerabilis Liber Scintillarum.

Sunt loci communes sententiarum ex sacr. literis et patribus, digesti per capita s. titulos LXXXI.

b) Admonitio S. Augustini de lectione diuina.

c) Liber de conflictu uitiorum atque uirtutum.

d) Varia e S. Augustino excerpta.

